





1792.

- 1.\* Ackermannus, Iohannes Sigfridus: *Responsum juris*  
II, VII, VIII. *Programma, quo ordinarius senior et*  
*relicui amicorum memoriam Iohannis Sigfridi Ackern-*  
*manni recolendam indicunt.*
- 2.\* Wendelerus, Augustinus Adolphus: *Responsum juris* X, XI  
et XII. *Programma, quo ordinarius senior et reliqui*  
*amicorum per ius. solemnia Doctoralia Augustini*  
*Adolphi Wendeleri indicunt.*
3. Baumannus, Fractimus Mauricius Julichus: *Vitus Gordia-*  
*nus sine de vita et constitutionibus M. Antonii Gos-*  
*drani III. Imperatoris*
4. Fleck, Ferdinandus Greif: *De Tullenda iurium*  
*et obligacionum confusione per hereditates*  
*antiquorum exorta*
5. Grun, Aug. Trider. Sigismundus, fac. ius. procurat. et  
vitis: *De transmissione hereditatis delatae non*  
*aditae. Programma, quo solemnia Doctoralia Iuris*  
*Friedrichi Hermanni indicatur.*

1792.

6. Hermanni, Christianus Gottfried, p[ro]f[essor] ius prouincial. 12  
lariis: Invenimus videtur, ex statuto locali in  
electrata saxonico successus marito, ad collationem  
bonorum est obstricta? Progr[am]ma, quo sublimia  
in augustinia tractatio[rum] Mauri[us] Institutio[rum] Bau-  
mativis indicit.

7. Hermanni, Ioannes Fredericus: De mortis causa  
damnacionum conjecturis ex mortis meliore co-  
piendis.

8. Kindius, Carolus Chri. topieorus: De justitio iuriis 14  
marum Lippensium

9. Knobelsdorff, Ioannes Christianus: Ritus pontificum  
Romavorum vicariatum I.R. imperii sibi corrogandi

10. Knobelsdorff, Ioannes Christianus: Origines  
vicariatus I.R. imperii ex Sacra Francorum et  
Saxonum principato deductae.

11. Knobelsdorff, Ioannes Christianus: Historia oca- 17  
niatus I.R. imperii inde a magno sic dolo inter-  
regno usque ad huncum bullam iuriis Germanici probata.

1792.

12. Leonhardi, Fridericus: *Quæst i legibus agriculturæ  
causa in turonicis Electoratibus . . . Programma,  
quæ ad orationem auspicationem virtutis?*
13. Lüding, Christianus, Fridericus: *Nc levations in plu-  
mine salubritate.*
14. Platinus, Ernestus: *Vindictariorum sententiarum  
probabilium per systematis condendi festinationem  
de physiologia rejectarum. p. III paraclymne.*
15. Ruediger, Christianus, Fridericus: *(De effectu repac-  
tiorum in ortum et occasum stellarum con-  
putando.) Programma, quæ ad orationem auspi-  
alem invitat.*
16. Fockelius, Joannes Conradus: *Fiorlethianus et  
Maximus voc de voto et constitutioibus  
P. Aurelii Valerii Fiorlethiani et M. Aucti Valli  
rii Maximi.*
17. Stuckmann, Augustus Cornelius: *Papirii Testi,  
Ichi Romani fragmenta . . .*



1792.

18. Wendlerus, Augustus Propheta: De testamentatione  
fictione malorum





8624.

1792, 7.

DE  
MORTIS CAVSSA DONATIONVM  
CONIECTVRIS  
EX  
MORTIS MENTIONE  
CAPIENDIS

---

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS  
OBTINENDO

A. D. XVI. M. AVG. A. C. ~~cic~~ CCCLXXXII

H. L. Q. CC

D I S P V T A B I T

M. IOANNES FRIDERICVS HERMANN  
LIPSIENSIS  
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA SAALBACHIA



DE  
MONTICELLO ADOLESCENS  
CONSTITUTUS  
IN MONTICELLO  
CATHOLICIS  
LIBERAMENTE  
AD CATHOLICIS  
EDO GREGORIUS DOCTORIS  
CATHOLICIS  
AT  
CATHOLICIS  
M. IOANNES IRIDERICVS HERRANVS  
LUDVICO  
ALBONIUS

**MORTIS CAVSSA DONATIONVM  
CONIECTVRIS**

**MORTIS MENTIONE**

**CAPIENDIS**

**PRAEFATIO**

Iuris ciuilis prudentia duobus hodie regitur praeceptorum generibus: altero, quod ex ipsis legum Romanarum fontibus et veterum Iurisconsultorum monumentis haustum incorrupta pollet in foro pariter ac scholis auctoritate; altero, quod ab recentioris aevi interpretibus vel artis amplificandae, vel legum ad quaestiones quotidianas facilius applicandarum gratia inuentum cum vniuersa iusti iniustique Scientia ita coaluit, ut diuersam disciplinae rationem adgnoscere et separare vix acutissimo liceat. Cui quidem artis nostrae portioni haud ignobili, cum restaurato eius studio natae, quum tunc demum fides sit habenda, vbi verae iuris Romani indoli conueniat: magna profectio opus est cautione, ne temere amplectantur decreta eiusmodi, quae, quamuis ad communis opinionis dignitatem sensim euecta, et longissimi temporis vsu frequentata, tamen, si cum ipsis legum cauissis

A

aucto-

2

auctorumque veterum, qui ius ciuale fundauerunt, mente contendantur, magis a cerebrinae aequitatis specie, quam ab adcuratae et solidae doctrinae severitate commendari videantur. Neque nunc dubito in eum censem referre vulgarem illam et satis decantatam de frequentissimo negotiorum genere diiudicando regulam, ex qua ambiguæ donationes ita sunt interpretandæ, ut inter viuos potius, quam mortis cauſa celebratae intelligantur. Quæ quemadmodum mihi dudum visa est fluxisse ex male intellecta mortis mentione, donationibus adiecta, dum plerique viri docti id signum ad m. c. donationem indicandam sufficer negauerunt: ita nescio, an vlla vñquam interpretum fententia maiorem vim habuerit in ipsis rerum argumentis ea, quam dixi, regula; siquidem e tanto, quo donationes inter viuos a mortis cauſa factis distant, discriminè acerrimas lites et infinitas contentiones oriri, quæ omnia fere tribunalia obſideant, vel hodie animaduertere possumus. Quam ob cauſam, quum rerum mearum ratio exigeret, ut ad summos in vitroque iure honores obtinendos viam mihi pararem libello academico et scribendo et defendendo, coepi paulo diligentius communem illam opinionem examinare, et cum ipsis iuris Romani fontibus et antiquorum Iurisconsultorum super ea re decretis comparare. Instituta vero comparatione, non potui non receptae doctrinae nuncium mittere, ac fines mortis cauſa donationum, interpretum studio nimis, vt videbatur, coarctatos proferre, suaque integratitudine restituere. Quia in re eti vereor, ne multa me temere ausum esse intelligent aequi et prudentes quaestioneis huius arbitri: tamen numquam committam, vt modestiae, quæ meam maxime aetatem decet, immemor, adrogantiae reprehensionem incurram.

CAPUT

## CAPVT I

*De caassis donationum ambiguarum.*

**V**t autem, quo consilio quaestionem de ambigua donationum natura recte constituenda retractauerim, adpareat, ante omnia, quae circa donationes vniuersitate occurrere possint ambiguitates, exponendum arbitror. Verissime enim, qui de rebus dubiis scripsit, Nicolaus Valla Tr. II. f. 12. donationum materiam, ait, plus habere difficultatis propter ius varium, diuersasque tum sanctiones, tum confuetudines, et varia pugnantia que iudicata, quam ipsos tractatus substitutionum, vel iuris ad crescendi, et si quid obscurius istis. Duobus vero potissimum modis ambigi solet et fluctuari in hoc, quem mihi sumsi, loco; vel propter leges, quae de donationibus saepe ita loquuntur, vt nescias, vtrum de liberalitate inter viuos collata, an de genere aliquo ultimarum voluntatum sermo sit; vel propter dubiam ipsorum negotiorum vulgo obuiorum indolem. Ac de legum quidem circa donations, quas commemorant, ambiguitatibus prolixius disputare non adtinet, quum, nisi rationes earum aliud suadeant, pleraque difficultates tolli posse videantur regula, in L. 67. §. 1. D. de V. S. commendata, quae donationis verbum, simpliciter loquendo, omnem donationem comprehendere, sive mortis causa, sive non mortis causa fuerit, innuit. Vnde, vt exemplo utar, quod ex Iuliano refert Ulpianus L. 7. pr. D. de Dol. mal. exc. (desumta ex eodem eiusdem auctoris ad Edictum libro, in quo regulam nostram explicauerat) si pecuniam, quam me tibi debere existimabam, iussu tuo spoponderim, cui donare volebas, exceptione dolii mali potero me tueri, et praeterea condicio mihi aduersus stipulatorem competit, vt me liberet, sive

A 2

inter

12H

4

---

*inter viuos, siue mortis cauſa donare volueris.* Aliud magis illustre exemplum praebet L. 15. *D. de Donation.* quam, dum donationes, post contractum capitale crimen factas, ratas esse vniuerse negat, etiam ad mortis cauſa donationes pertinere, aperte euincit L. 7. *D. de Mort. cauſa donat.* ab ipſo quoque Car. Frid. Walchio, V. Ill. *Ex. de donatione capite damnati* §. 13. *Opuscc. Tom. I. Sect. I. p. 283.* in auxilium vocata. Nec dubito, vel ipſam legem Cinciam de vtroque donationum genere adipere, quamvis obstet auctoritas praefantissimi huius sanctionis interpretis, Frid. Brummeri, qui *Comm. ad L. Cinc. c. 15. §. 1.* mortis cauſa donations ab ea contendit esse exemptas, non alia ratione adductus, quam, quia et olim eas ultimis voluntatibus plane similes fuisse credidit: a qua sententia cur ego diuortium fecerim, infra adparebit.

Interdum autem ratio legis, generalius conceptae, postulat, vt ab ea alterutrum genus excludamus, qua cautione opus est in primis in interpretanda L. 35. §. vlt. *C. de donat.* vbi tantum donationibus inter viuos gestis stipulationis vel traditionis necessitatem remissam, sed in donationibus m. c. antiquam iuris formam seruatam esse, ex cauſis, a lac. Voorda *Lib. III. Interpretationum et Emendationum Iuris Rom.* c. 19. adlati, censeo. Eodem modo, vt in aliun campum excurrat, explicanda videntur iuris hodierni statuta ea, quae donationes a feminis sine mariti vel curatoris consensu factas irritas esse volunt; qualis prohibitio, iam Iosepho Fernandez de Retes *Opusc. de donatt.* c. 17. §. 18. *Tom. VI. Thes. Meerm.* p. 639. iudice, in mortis cauſa donationibus propterea exsulet necesse est, quia haec sunt natura sua reuocabiles, et ultimis voluntatibus, ab alieno arbitrio immunibus, proximae. Vnde et iure Saxonico ex sententia auctorum locupletissimorum, Io. Henr. de Berger *Lib. II. Oeon. Iur. tit. 2. th. 27. n. 3. p. 204. ed. nouiss.* Lüd. Menckenii *Syst. Pand. ad tit. de m. c. don.* §. 2. p. 613. ed. nouiss. et Io. Gottl. Hei-

Heineccii *Diss. de marito tutorie et curatore uxoris legitimo c. 2.*  
 §. 25. *Syll. Opuscc. p. 868.* feminae mortis causa, vel inconsulto curatore, recte donant; quamquam, quae omnino mulieres absque curatoribus obligari prohibet, *Constit. El. Sax.* 15. *P. II.*, etiam a largitionibus inter viuos conferendis eas repellere videtur.

E contrario occurunt leges, quas, et si nulla donationum mentione facta, tamen, quia de supremis hominum iudiciis praecipiunt, ad ipsas quoque mortis causa donationes transferri oportet. In quo ratiocinationis genere, ut cum Voorda *l. l.* loquar, non argumentamur ex re maiore ad id, quod minus est, sed, similius comparatione instituta, obtemperamus aequitati, quae paribus in causis paria iura desiderat. Ita quidem leges Voconia et Falcidia (nam Furia antiquior expresse de nostro donationum genere sanxerat, quod praeter Varronis fragmentum *de vit. pop. Rom. Lib. III.* ab Abr. Wielingio *Lib. II. Leđt. iur. ciu. c. 18.* contra Car. Annib. Fabrotti *ad Theophilii §. 1. de L. Falc.* calumnias recte vindicatum, Vlpiani quoque verba, *Fragm. tit. I. §. 2.* servata, euincunt) primum interpretatione ad huiusmodi largitiones, quae mortis causa fierent, prolatae sunt: donec, post varias Iurisconsultorum contentiones, Imperatores Falcidiae potissimum legi subesse id ultimarum voluntatum genus deciderent; quam iuris ciuilis viciſſitudinem adequare exposuerunt Franc. Hotomannus *ad L. 2. C. de Donat. cauſ. mort. Opp. T. II. p. 633.* Franc. Balduinus *ad Leges de iure ciuili, Voconiam, Falcidiā etc. Commentt. pag. 26. ed. Hal. Hub. Giphanius ad d. L. 2. C. in Lecturis Altorphinis p. 308. sq.* Voorda *ad L. Falcid. c. 6. §. 6. et 7. p. 89. sgg.* Wielingius *l. l. Lib. II. c. 30.* et nouissime Andr. Guil. Cramerus, doctissimus Antecessor Kiliensis, *Dispunctionum iur. ciu. c. 10. p. 83. sq.* Paullo magis dubitari potest de lege Iulia et Papia Poppaea,

A 3

quam


6

quam ipsam quoque, qua de legatis agit, ad donationes mortis  
causa celebratas a prudentibus initio propagatam fuisse, ante-  
quam Senatus id ius expresse confirmaret, post Balduinum *l.l.*  
*p. 27. 71. sq. et 117.* obseruauit Heineccius *Lib. II. ad Legem*  
*Iul. et Pap. Popp. c. 21. §. 2.* a Voorda *ad L. Falcid. l. l. p. 90.*  
qui iam in ea opinione antesignanos habuit Hotomannum  
*ad rubr. C. de Donat. Opp. T. II. p. 589.* et de Retes *Opusc. de*  
*donatt. int. virum et vx. c. 10. §. 12.* *Tom. VI. Thes. Meerm. p.*  
*699.* successorem vero Ger. Meermanum *in Notis ad Vlpiani*  
*Fragm. tit. I. §. 1.* *Thes. T. VII. p. 742.* frustra reprehensus,  
siquidem ex tota Pauli oratione, in *L. 35. D. de M. C. don.*  
vbi Senatusconsulti illius mentio sit, seruata, manifeste patet,  
ansam praebuisse Senatui, ut ita censeret, Iurisconsultorum,  
in primis eorum, qui Cassii doctrinam profiterentur, de na-  
tura harum donationum disputationes, quas puto praeципue  
legis Iuliae et Papiae Poppaeae causa tam acri studio esse  
agitatas.

Sed missis, quibus leges de donationibus latae interdum  
laborant, ambiguitatibus, ad alterum earum genus, quod ipsa  
negotia vulgo obvia adficit, adcedamus. In quibus recen-  
fendis abstinebimus a difficultatibus iis, quae, ex dubia re  
donata vel incerta donatoris aut donatarii persona, vel am-  
biguis donationum conditionibus profectae, si in liberalitatem  
inter viuos collatam cadunt, soluenda sunt ope regulae tri-  
fissimae: interpretationem faciendam esse aduersus eum, qui  
clarius loqui debuisset; cuius medicinam etiam donationibus  
salutarem esse, docuit in primis Iust. Henn. Boehmerus *Diff.*  
*de interpretatione facienda aduersus eum, qui clarius loqui debuisset,*  
*§. 22. in Exercit. ad Pand. T. II. Ex. 30. p. 386.* cf. Ant. Fabri *Lib.*  
*VII. Coniect. iur. ciu. c. 14.* et de Erroribus Pragmatt. *Dei. XXXV.*  
*Err. 2. §. 8.* Imo aliis nobis idemque amplissimus patet campus,  
quum de tollendis ambiguitatibus iis, quae ex dubio donationis  
num

num genere oriuntur, cogitamus. Earum vero duplex rursus  
 est species; siquidem vel donatio ipsa, vel aliud negotium  
 ad donationem pertinens ita est in ambiguo, ut dubitari  
 possit, vtrum mortis caufa, an inter viuos exercere libera-  
 litatem donator voluerit aut debuerit. Ad quam quaestio-  
 nem, quatenus circa alia negotia, donationem quasi praepa-  
 rantia, versatur, eodem modo puto posse responderi, quo  
 Vlpianus *L. 67. §. 1. D. de V. S.* quam supra laudaui, re-  
 sponderat, vt vel hic intelligendum sit vtrumque genus do-  
 nationis, nisi aut donatoris, aut tertii, cuius negotium illud,  
 ad donationem respiciens, interest, conditio aliud suadeat.  
 Ac tale quidem exemplum suppeditat idem Iurisconsultus  
*L. 7. §. 5. D. de Donat. dum, meminisse, ait, oportebit, si cui*  
*donare quoque permisum est, nisi specialiter etiam mortis caufa do-*  
*nare fuerit permisum, non posse mortis caufa donare.* Loquitur  
 enim de filiosfamilias, quem mortis caufa donare non posse,  
 nisi patre volente, certi iuris est; licet caufa eius iuris, a  
 testamenti factione, qua ne consentiente quidem patre filius  
 gaudet, prorsus diuersi, sit maxime incerta: quidquid ad  
 eam inuestigandam contulerit interpretum follertia, vt Vigili  
 Zuichemi *Comm. ad tit. I. quib. non est perm. fac. testam. p. m.*  
 102. — 105. Pauli Busii *Lib. V. Subtil. iur. c. 5.* Poppii  
 ab Aezema *Lib. II. Differt. iur. ciu. c. 14.* *Thes. Meerm. T. VI.*  
 p. 830. et de Retes *Lib. I. Opuscc. c. 22. §. 8. sqq. ibid. p.*  
 73. *sqq.* Nemo vero sensum d. *Legis 7. §. 5.* melius adsequi-  
 tuis esse videtur Voorda *Lib. III. Interpret. et Emendatt. c. 19.*  
 qui donationem a filio familias, volente et consentiente patre,  
 factam eodem iure censi statuit, ac si pater ipse donauerit;  
 vnde vel mortis caufa donatam a filiosfamilias rem ipse pater,  
 non sua quidem, sed filii tamen mortis caufa donasse vide-  
 bitur. Quae ratio, dummodo ad solum peculium profecti-  
 tum, praeter quod aliud neque Vlpianus *l. l.* neque Marcia-  
 nus

TVMAD



nus L. 25. §. 1. D. de M. C. donat. in mente habere potuit, restringatur, simul caussam continet, cur patris voluntas de sola donatione inter viuos, nec plane de ea, quae mortis caussa celebratur, nisi hanc pater expresse permiserit, adcipi debeat. Nam peculum profectum est tantum viuentis filii; nec potest paternum iudicium ultra tempus, quo res donata pecularis esse desinit, proferri, nisi, vel mutata rei qualitate, patrem in sua voluntate perseverasse, manifeste adparuerit. Vnde elucet, quam procul a vera Vlpiani sententia aberrauerit Balduinus, qui *Comm. ad tit. I. de Donat. p. m. 233.* caussam eius iuris aduluit hanc, quod profusiores esse soleant homines et tantum non prodigi in eius generis donationibus, quae in mortem donatoris differantur; quasi ultra peculum filius familias prodigus esse posset! Nostrae vero disputacionis cardo quum versetur in excutienda altera quaestitionis parte, quae ad ipsas donationes, inter liberalitatem viuentis et moribundi fluctuantes, pertinet; varias variorum Interpretum de ea visiones ante omnia exponamus.

---

CAPVT

---


## C A P V T II

*Variae interpretum sententiae de mortis caussa donationum  
coniecturis recensentur.*

In eo autem fere plerique iuris ciuilis interpretes conseruent, vt mortis mentionem ad mortis caussa donationem desiderent, negentque eam donationem esse mortis caussa celebratam, a qua haec mentio absit. Quae enim a Iac. Menochio *Lib. III. de praesumit. praef. 36.* recensentur coniecturae, vnde, licet mortis mentione non facta, tamen mortis caussa donatio adparere possit, omnes legum auctoritate sunt defitutae, nonnullae adeo inuita iuris ratione in hunc censum relatae. Cuiusmodi est statim prima coniectura, a pacto de reddenda re donata petita, qua vtitur etiam de Berger *Lib. II. Oecon. Iur. tit. 2. th. 27. n. 3. p. 204.* quasi non posset per donationem inter viuos dominium aequre retuocabile transferri in donatarium, ac per aliam quancumque alienationem; siquidem *conditio redhibendi in L. 42. §. 1. D. de M. C. D.* ad quam Menochius frustra prouocat, non adcipienda est de redhibenda re *ipso patri, in extremis vitae constituto, cui haec redhibitio nihil profutura esset, sed de conferenda re donata in hereditatem paternam, vt tota orationis series docet.* Similis farinae sunt argumenta, quae apud Menochium sequuntur, vt: si donatio pio loco facta sit ab infirmo, qui ex ea infirmitate decessisset; aut si donatio fiat tempore pestis, cuius erroris correos habuit Vallam *Tr. II. de reb. dub. §. 10.* Dau. Meuium *Lib. I. Comm. in Ius Lubec. tit. 9. art. 4. §. vlt.* et Sam. Strykium *Vf. mod. Pand. tit. de M. C. D. §. 2.* quum tamen eos admonere

B

de-



debuisset d. L. 42. §. 1. solum mortis periculum, nisi aliae adcedant conjecturae, mortis causa donationem minime efficere. Quam ob rem satis mirari non possumus, quomodo Hotomannus *Comm. ad §. 1. I. de Donat.* p. m. 151. eo audaciae procedere potuerit, vt ad omnem adeo mortis causa donationem mortis periculum necessarium esse, et a solo periculi metu hunc liberalitatis modum pendere, contendenter; iusto proinde risu a Iac. Cuiacio *Consil. 23.* exceptus. Nec insitam infirmandis ceteris exemplis a Menochio adlatiss, quorum id, quod a professione vitae monasticae, donationem insequuta, arcessuit, satis refutatum est a Des. Heraldio *Lib. II. de Rer. iudit. auctoritate c. 10. §. 3. et vlt. in Thes. Ott. T. II. p. 1198. sgg.* A numero autem testium donationi exhibitorum, quem ipsum quoque Menochius pro signo mortis causa donationis venditauerat, quam fragile ad nostrum donationis genus ducatur argumentum, nuperrime demum docuit Ill. Ern. Christ. Westphalius in *Responsorum iur. priuati*, hoc anno, sermone vernaculo, editorum, *Tom. I. p. 171. et T. II. p. 369.* qui et substitutionem, donatario factam, ac donationi insertam, e conjecturarum, quae m. c. donationem adiuuent, censu recte proscriptit.

Itaque missis his somniis, veniamus iam in rem praesentem, et communem interpretum doctrinam de mortis causa donationum finibus regundis exponamus. Quae quidem, iam a Glossatoribus *ad L. 33. D. Soluto matrim.* vnamini consensu tradita, et a recentioris aeu*i* Iurisconsultis fere omnibus, si a paucis, quos infra indicabo, discesseris, recepta, eo potissimum reddit, vt mortis mentio, donationi adiecta, prodat mortis causa donationem, nisi adsint caussae grauiores, ob quas donatio magis habenda sit pro ea, quae inter viuos, quam quae mortis intuitu celebrata videatur. Verum enim vero, quod in primis animaduerti velim, in multiplicandis hisce

hisce caussis grauioribus tantopere sibi placuit vulgus docto-  
rum, vt iam prae exceptionibus vix regulam ipsam adgno-  
veris; de quo artis nostrae abusu acerbe conquestus est Eberh.  
Habernikkel in *Diss. inaug. de methodo iuris priu. quo per Germ.*  
vtimur, cap. 2. §. 10. p. 39. his verbis: *Plurimi in ea videntur  
fuisse opinione, pugnare cum decoro iuridico, regulam sine exceptione  
comite in publicum prodire.* Quare anxie laborarunt in inueniendis  
et excogitandis et colorandis falsis quoque exceptionibus, quamvis  
regula, quam destruere conantur, omni exceptione sit maior. Nemo  
autem plures regulae, quam de cognoscendis mortis caussa  
donationibus tradidimus, exceptiones, a Glosographis  
maxime excogitatas, congregavit Menochio ipso, qui in *Ope-  
ris commemorati Lib. III. praef. 35.* quindecim adeo pro-  
prouit coniecturas, vnde, licet mortis mentione facta, tamen  
inter viuos donatum esse, colligi possit. Pauciores, sed et  
ipfas a Menochio adlatas, exhibent Giphanius *ad L. 13. D.  
de M. C. D. in Leidt. Altorph. p. 265. sqq.* et Henr. Hahnius  
*Obff. ad Wefenbecum Lib. XXXVIII. tit. 6. obf. 2. T. II. p. m.*  
622. quare Menochii locum pro sede communis doctrinae  
recte habebimus, quam in eo consentiant omnes eius opini-  
onis adseclae, vt regulam, a mortis mentione petitam, cer-  
tis limitibus includendam esse statuant, quamvis numero ex-  
ceptionum ipsi egregie varient. Itaque, vt de tota huius  
sententiae vi ac ratione constet, ipsum coniecturarum, quae  
donationem, sub mortis mentione factam, inflectere, et ne-  
gotiis inter viuos gestisaequiparare dicuntur, agmen ex Me-  
nochio huc transferam, quo facto postea de earum efficacia  
tanto melius poterit iudicari. Ait autem Menochius, ad-  
iecta quamvis mortis mentione, tamen inter viuos donatum  
intelligi: 1) si donator expresse dixerit, se donare titulo et  
caussa donationis inter viuos: 2) si mortis mentio facta sit  
per modum dilationis, atque ita solum in verbis exsequuti-

vis, vt, si quis alteri fundum donauerit, reseruato sibi usufructu usque ad tempus mortis; 3) si in donatione celebranda quinque testes non interuererint; 4) si in donatione facta sit mentio heredum donatarii, vt et ad hos donatio perueniat; 5) si merita donatarii praecesserint; 6) si donatio omni meliori modo, iure et forma, quibus magis potuit donator, facta sit; 7) si mentio mortis facta sit tantum generatim, vt puta, si mulier alicui donauerit soluto matrimonio; 8) si quis ita donauerit, vt numquam reuocetur liberalitas, nisi filii superuenerint; 9) si praecesserit caufsa donationis inter viuos, vt caufsa matrimonii, vel alimentorum, ad quae praestanda donator obligatus fuerat; 10) si donationi adiectum sit pactum de eadem non reuocanda; 11) si donator sibi reseruauerit multa bona ex rebus donatis, vt de illis posset disponere; 12) si donatio sit actis insinuata; 13) si addita sit donationi lex constituti, qua dominium et possessio statim transferretur in donatarium; 14) si verba *habendi* vel *tenendi* in donatione sint adhibita; 15) si coniunctis personis sit donatum. Addi potest ex Fabri de *Errorib. Pragmam. Déc. XXXXIII. Err. 2. §. 3.* aliud signum, excogitatum ab his, qui donationem inter viuos a donatione mortis caufsa ita potissimum differre putant, vt mortis caufsa donatio praesenti tantum fiat, inter viuos autem etiam absenti. Itaque si quando dubitetur, vtrum donatio, adiecta mortis mentione, inter viuos dicenda sit, an donatio mortis caufsa, solent praesenti factam donationem habere pro mortis caufsa donatione, absenti, pro donatione inter viuos. Denique et exemplum in *L. 29. §. 2. D. de Paß. dotal. obuium*, a non-nullis venditari pro donatione inter viuos, quamuis ibi facta sit mortis mentio, ex Iasone referunt Giphanius *l. l. p. 264.* et Hahnus *l. l. T. II. p. 623.* Iam vero tantus exceptionum, quibus coniectura a mortis mentione petita vulgo dicitur circum-

cumscribi, cumulus adegit magnam interpretum, in primis recentiorum, partem, vt, breuitati consulturi, alias substituerent regulas, quae tamen, si adcuratius indagentur, ipsum vulgaris opinionis sensum exprimunt, et ab ea, tamquam a communi fonte, proficiscuntur. Ita quidem sentio de notissima illa iuris regula, in indoctorum pariter ac doctorum ore versata: si de donationis genere ambigatur, praesumi talem, quae inter viuos celebrata sit; de cuius usu forensi testantur Bened. Carpzouius *Iurispr. for. Part. II. Const. 12. def. 24.* Sim. van Leeuwen *Lib. IIII. Censurae forens. c. 12. §. vlt.* Strykius *l. l. ad tit. de M. C. D. §. 2.* de Berger *l. l. p. 203.* Menckenius *l. l. p. 607.* et Augustin. a Leyser *Meditt. ad D. Sp. 438. m. 1.* vt taceam Io. Voetium *Comm. ad tit. D. de M. C. D. §. 2. T. II. p. m. 590.* qui eam pluribus argumentis confirmare admissus est. Eodem fere redit praeceptum aliud, tum ab laudatis interpretibus, qui donationem inter viuos in causa ambigua praesumi volunt, tum ab aliis diligenter commendatum: non quamlibet mortis mentionem sufficere ad mortis causa donationem indicandam, sed eam demum, quae causam donationis contineat, vel quae in principali donationis parte, seu, vt barbare aiunt, in verbis dispositiuis, occurrat: v. Pet. Gregorii Tholosani *Lib. XXVII. Syntagma. iur. vniu. c. 14. §. 5. et vlt.* Hahnii *l. l. T. II. p. 622.* Io. a Sande *Lib. II. Decif. Frif. tit. 2. def. 4.* Gottf. Lud. Menckenii *Diff. de donatione mortis causa valida, licet expresse in casum mortis non differatur, §. 11. Opuscc. p. 567.* et b. Io. Gottf. Baueri *Pr. de forma donationis causa mortis, Opuscc. T. I. p. 283.*

Ab hac communis doctrinae via regia fuerunt pauci, qui discederent, suoque ipsi genio indulgerent: quamquam nec horum exstitit quisquam, qui mortis mentioni talem vim tribueret, vt ex ea sola nostrum donationum genus pendere contenderet. Nam, qui vel hoc largiuntur, mortis mentio-

oooooooooooo

ne facta praesumi mortis caussa donationem, (vt adeo in Francia olim iudicatum esse, ex Bern. Autumno et Phil. Bugnonio refert Arn. Vinnius *Conim. ad §. 1. I. de Donat.*) hitemen, admissa vna vel altera exceptione, ita restringunt sententiam suam, vt parum a vulgari opinione abesse videantur. Sic Reinh. Bachouius *Notar. et Animaduers. ad Treutlerum Vol. II. P. II. Disp. 19. th. 9. litt. A. p. 70.* postquam probauerat coniecturam mortis caussa donationis a Treutlero ex mortis mentione captam, ipse quoque calculum adiicit verbis Treutleri, quibus hanc coniecturam rursus limitauerat: „*nisi contraria donantis voluntas adpareat, quoniam semper potior voluntatis, quam verborum habetur ratio.*“ Paullo liberaliores in finibus m. c. donationum amplificandis se praebuerunt Giphanius *I. I. et de Retes Opusc. de donat. c. 17. §. 16. Thes. Meerm. T. VI. p. 638.* Ac Giphanius quidem de refutandis singulis exceptiobibus, a Iasone suppeditatis, folliciti, argumenta infra exhibemus; Hispani autem Iurisconsulti sententiam ipsis eius verbis statim exprimere placet: *facta commemoratione mortis, in dubio censetur celebrata mortis causa donatio, nisi tale paetum adiectum sit, per quod remissum sit ius reuocandi donationem per poenitentiam, et per praecocem mortem donatarii.* Quorum vestigia sequutus Vir immortalis memoriae, b. Car. Ferd. Hommelius, *Rhapsod. Vol. IIII. obs. 513.* mortis vtcumque facta mentione, negauit esse donationem inter viuos, nisi diserte expressum fuerit, vt res donata numquam reuocetur, et tantummodo ususfructus ad dies vitae referuetur aut possessio; in qua tamen coniectura prosequenda videtur incidisse in vitium, quod ab initio huius capititis arguimus, contrarium, vt etiam fine mortis mentione a moribundo, aut periculum metuente collatam liberalitatem in mortis caussa donationum censem referret.


---

CAPVT

## C A P V T III

*Profligatis aliquot apertis interpretum erroribus noua  
sententia de mortis causa donationum coniecturis ex sola  
mortis mentione capiendis proponitur.*

**E**xpositis iam aliorum sententiis, sequitur, ut nostras coniecturas qualescumque proferamus. Quae tamen quum Prodire non possint sine aliqua eorum, qui a nobis dissentiant, modesta reprehensione, ante omnia, quid potissimum tam in communi doctrina, quam in singularibus virorum doctorum, qui ante nos ab illa diuortium fecerint, opinio-nibus, improbare ausi simus, profitebimur. Ut vero de vi argumentorum, quibus receptam sententiam impugnaturi simus, constet, libet praemittere caussas, quae doctos indoctosque interpres videantur in varios errores induxisse, atque eo tandem adegisse, ut plane alienam a disciplina Iuriisconsultorum Romanorum, et vero etiam *vopositoria* recentiore indolem mortis causa donationibus ad fingerent. Ac prima quidem variorum errorum origo, si quid video, repetenda est ex male intellecta donationum inter viuos potesta-te, quae, dum solae *propriarum* nomine veniunt, distinguuntur a m. c. donationibus, conditionem, quae soluendi vim habeat, admittentibus, et ideo *non propriis*: *L. I. pr. D. de Donat.* Vnde potius pro eo donationis genere pronunciant, quod pure possit celebrari, nec ab admixta aliqua conditione pendeat, quam pro eo, quod nequeat intelligi sine aliquo conditionis temperamento. Qua ratiocinatione communi opinioni de pre- sumenda inter viuos donatione, Voetius in primis et Westphalius *ll. ll.* subuenire conati sunt. Verum enim uero, ut taceam,



taceam, esse etiam donationum inter viuos celebratarum plures species minus proprias, quarum singulas adcurate exposuit Bachouius *I. I. Vol. II. P. II. Disp. 19. th. 2. litt. A.* p. 36. tota haec distinctio minime prodest ad preferendum vnum genus alteri, quoties adeat signum eiusmodi, quod ipsum caussam idoneam, cur aliqua donatio a propria donationum forma discrepet, contineat. Ac tale quidem signum esse iam solam mortis mentionem, infra adparebit. Cui adcedit, quod donationum m. c. eti a propriis distinguuntur, tamen non minor sit frequentia in ipsis rerum argumentis, quam largitionum inter viuos concessarum.

Alteram errorum caussam comprehendere nobis visi sumus in regula, quae negotia mauult ita explicari, ut rata sint, quam, ut euanescant. Cuius in donationibus potissimum interpretandis vsum quamquam defenderunt rerum forensium scriptores tantum non omnes, vt Franc. Mantica *Lib. I. de conjecturis ultimarum voluntatum tit. 13. §. 15. p. 21.* Menochius *d. I. praef. 35. §. 5. et praef. 36. §. 7.* Osv. Hilliger *Not. ad Donelli encl. L. XIII. c. 33. litt. D.* Carpzouius *l. l. P. III. Conf. 1. def. 41.* et ipse adeo Hommelius *l. l. vereor tamen, ne intempestiuo aequitatis studio adducti legum rationes deseruerint.* Ipsa enim iuris ciuilis argumenta, ad quae prouocauerunt, velut *L. 12. D. de Reb. dub. et L. 3. D. de Testam. mil.* a donationibus plane sunt aliena, siquidem vel de ambigua testatorum voluntate, vel de ambiguis actionibus et exceptionibus praecipiunt; nec quidquam praesidii est in *L. 32. §. 4. D. de Donat. int. V. et V.* primo intuitu pro eorum sententia militante, licet a nemine, quod sciam, in auxilium vocata. Quando enim iudex, si res in obscuero sit, proclivior esse iubetur ad comprobandum donationem: obscuritas latet in facto reuocationis dubio, non in donationis formula. Donationibus vero male adplicari istam regulam, id potissimum

. . . . .

37

potissimum euincit, quod, ea admissa, omnis legum, sollemnitates certas etiam donationibus praescribentium, euerteretur auctoritas, et ius certum rursus euaderet incertum, cederetque arbitrio iudicis, quo nulla peior esse potest pestis in republica.

Praeterea, qui iam plurimum arti nostrae nocuit, rationum ad similitudinem legum perperam excogitarum abusus hos quoque, quos nunc impugnamus, errores, si non genuit, at alius certe et male confirmavit. Fuerunt enim, auctore Giphanio *l. l. p. 264.* qui conjecturarum pro donationibus inter viuos capiendarum praesidium quaererent in *arg. L. 1. §. 1. D.* *Si quid in fraud. patron.* qui tamen locus agit de rebus in fraudem patroni sine doli suspicione alienatis, quas, mortis caussa alienatas esse, probare debet actor propterea, quoniam is solus alienandi modus ipsi ad agendum prodest.


Restat vltima eaque grauissima errorum multiplicis generis, quibus locus noster scatet, caussa, quam cum Menkenio *laud. Diff. §. 7. Opusc. p. 561.* quaero in male descriptis ab interpretum vulgo finibus vicissitudinis eius, quam sub Iustiniiano donationes cum vniuersae, tum in primis m. c. factae subierunt. Quemadmodum autem fateor, hunc locum esse difficillimum omnium, et praeter ingentem eruditioonis adparatum etiam singulare ingenii acumen poscere: ita tanto certius confido, me, neutro auxilio instructum, a lectoribus aequis esse veniam impetraturum, si in explicando arguento tam arduo aliquoties lapsus fuerо, quo saepius vel viros in arte nostra summos in hoc mari aestuoso fluctuasse animaduenterint. Desudarunt enim in hac quæstione indaganda Hotomannus *ad tit. C. de Donat. c. m. Opp. T. II. p. 632. sqq.* Faber *de Errorib. Pragm. Dec. XXXXIII. Err. 1 — 7. Calp. Schifordegherus Lib. III. Diff. forens. ad Fabr. Tr. 26. qu. 8. et 9. de Retes Opusc. laud. c. 17. §. 5. sqq. Theſ. Meerm. T. VI. p. 634. sqq.* B. Branchu *Obſf. Dec. I. c. 4. Io. Pet. a Ludewig*

C

Diff.

*Diff. de Differentiis iur. Rom. et Germ. in donationibus et, barbari  
adnexus, acceptatione passim, Phil. Rich. Schroederus Origg.  
praecipuarum iur. cia materiarum c. 39. Voorda Comm. ad L.  
Falcid. c. 6. §. 6. et Lib. III. Interpretatt. et Emendatt. c. 19.  
Menkenius Diff. laud. §. 7. et 8. Opuscc. p. 561. sqq. S. R.  
Iof. Lud. Ern. Püttmannus Pr. de m. c. donatione, abiente licet  
et ignorantio donatario facta, iure valida, Lips. 1787. et nouissime  
Cramerus l. l. c. 10. ad quorum maxime diuersas senten-  
tias lectores ablegamus. Nos quidem, quos temporis et  
libelli limites in alienos agros excurrere prohibent, sepositis  
virorum doctorum de hoc arguento contentionibus, id  
dumtaxat agemus, ut paucis, quid nobis de ista viciſſitudine  
videatur, exponamus. Ut autem nouissimam de mortis  
cauſa donationibus legiſtationem plene perſpiciamus, com-  
paranda eſt ea ante omnia cum veteris iuriſprudentiae disciplina:  
quae comparatio optime ſuccedet, dummodo formam  
m. c. dd. et effectus, pro diuerso iuris antiqui et noui habitu,  
diſtinguamus. Quod ad formam adtinet, ſecerni debent in ea  
ſtipulatio, traditio, praefentia donatarii, declaratio eiusdem,  
quod velit rem adcipere, inſinuatio. Et alterutro quidem  
modo, aut ſtipulatione, aut traditione, olim celebrari de-  
buſſe mortis cauſa donationem, non ſolum e generali legis  
Cinciae ſanctione, de qua ſupra diximus, ſed etiam ex mu-  
ltis aliis testimonii colligimus. De ſtipulatione res certa eſt  
tum propter L. 35. §. vii. D. de M. C. D. tum ob locum  
Festi v. Mortis cauſa ſtipulatio. Mortis cauſa ſtipulatio exiſtimatur  
fieri, ut ait Antiftis Labeo, que ita fit, ut morie promiſſoris con-  
firmetur, aut, ut quidam dixerunt, cuius ſtipulationis mors fuit cauſa.  
Quae verba cum Iac. Raeuardo Comm. ad L. 17. D. de R. I.  
Opp. T. I. p. 180. ita adcipio, ut ſtipulatio demum a morte  
promiſſoris effectum fortifiatur; viuo autem eo nihil prorsus  
operetur. Eodem ſenſu occurrit etiam mortis cauſa promiſſio  
apud*

apud Tryphoninum L. 76. D. de iure dot. nec obstat, quod Imperator §. 13. I. de Inutil. stipul. ex antiquo iure a se mutato adulit: neminem stipulari potuisse, post mortem suam dari sibi, non magis, quam post eius mortem, a quo stipulabatur. Ratio enim veteris rigoris haec fuit, quod obligatio non posset in herede incipere, quae defuncto non competiisset: L. 36. §. 1. D. ad L. Aquil. plane, ut olim post mortem quoque heredis aut legatarii inutiliter legabatur: §. 35. I. de Legat. Iam etsi Iustinianus L. vn. C. Ut act. ab her. et contr. her. vtrumque impedimentum sustulit: tamen iam ante hanc constitutionem mortis mentio ideo fraudi esse non potuit mortis causa donationibus per stipulationem contractis, quia non tam heres obligatus, quam hereditas ipsa et bona defuncti obnoxia videbantur; quod secus in obligationibus aliunde, v.c. ex mutuo contractis, quae post mortem promissoris ex stipulatione peti non poterant, quia heres, non hereditas, secundum subtilitatem prisci iuris conueniri debuisset; heres autem non magis, quam defunctus, obligari poterat. Vnde etiam magnum pondus adcedit conjecturae Corn. van Bynkershoek, qui Lib. VII. Obff. c. 7. mortis causa donationes prudentum interpretatione putat exaequatas fuisse legatis per vindicationem relictis. Quemadmodum autem omnino per stipulationem contrahi potuit m. c. donatio, ita et per adcepitationes, nouationes et delegationes haud raro facta est: L. 18. §. 1. L. 24. L. 28. L. 31. §. 1. D. de M. C. D. Atque haec de stipulatione. De traditione in m. c. donationibus olim necessaria quantumuis dissentiant interpretes: tamen id pro certo adfirmare audeo, nullam m. c. donationem potuisse per nudum pactum contrahi, (nisi aliquando remittendae obligationis gratia) sed, si stipulatio abesset, debuisse rem donatam donatario tradi, vel per mancipationem, vel per cessionem in iure, vel per simplicem dominii translatio-



nem. Si vero per mancipationem perficeretur donatio, puto adiectum fuisse pactum fiduciae: ut, si superstes esset donator, vel ipsum poeniteret, remanciparetur ipsi res a donatario vel eius heredibus. Quod ut verum esse putem, efficiunt plura Pandectarum testimonia: in primis vero L. 15. fin. *D. de Manumiss.* L. 4. et L. 56. *D. de Donat.* int. V. et V. ac potest idem probari de antiquissima aetate ex loco Ciceronis *Lib. II.* de *LL.* t. 19. sicut probauit Ge. d'Arnaud *Lib. II. Varior.* *Coniectt.* t. 1. p. 216. cf. Pauli *Lib. III. Senth. Recc. tit. 7.* Quae cum ita sint, nemo facile in dubium vocabit, praesentiam donatarii, eiusque de adcipienda donatione voluntatem etiam in m. c. donationibus antiquo iure fuisse necessariam; quod praeter stipulationis et traditionis indolem satis notam etiam L. 38. *D. de M. C. D.* euincit his verbis: *mortis causa donatur, quo praesens praesenti dat.* Nec dimoueri nos ab hac sententia patimur per sensum in *Basilicis T. VI.* p. 242. ita expressum: ἡ θανάτου αίτια δωρεὰ παραχεῦμα δίδοται, ἡ δὲ θανάτου αίτια ληφθεὶς εἰπεὶ πληρώσει αἰցεσθε. *Donatio, quae mortis causa fit, datur illoco; mortis autem causa capio conditionis expendae causam, ut vulgo vertitur; seu potius: post expletam conditionem.* Quomodo enim *illoco dari*, h. e. tradi, res donata potest, nisi a praesente praesenti? Adcedunt noua argumenta tum ex disertis L. 75. et 77. *D. de Leg. II.* et L. 25. *C. de Donat.* sanctionibus, tum ex usu personarum interpositarum, in L. 11. §. 2. — 8. L. 49. et L. 58. §. 2. *D. de Don.* int. V. et V. nec non in L. 18. §. 2. *D. de M. C. D.* obuio, quibus certe opus non fuisset, si absenti donari mortis causa potuisset. Nec discessum est ab hac donationum forma, si in testamento mortis causa donaretur, quo ipso differunt m. c. dd. testamentis insertae a legatis et fideicommissis: L. 3. pr. *D. de Legat. praefand.* t. b. p. p. Supereft ultima *infringationis* sollemnitas, quae et ipsa in m. c. donationibus ante Iusti-

Iustinianum fuit necessaria. Quumque vicissitudinem eius variam praeter scriptores, quos laudauimus, descripserint quoque Brummerus *Comm. ad L. Cinciam c. 15. §. 6.* — *11.* et Io. Chph. Amadutius *Nott. ad Leges Nouellas V. anecdotas Imperatorum Theodosii Iun. et Valentiniani III. p. 135. et 215.* nos, ablegatis ad hos lectoribus, eas tantum insinuationis successiones strictim commemorabimus, sine quibus Iustiniane*i*ni*j* iuris indeles intelligi haud potest. Itaque generali Edicto sanixerat Constantinus M. *L. 1. Cod. Th. de Donat. (Lib. VIII. tit. 12.) et L. 25. C. Iust. eod.* vt donationes omnes, sive directae essent, sive mortis causa institutae, non solum in scriptis fierent, sed etiam insinuarentur, seu gestis adlegarentur; quam sollemnitatem abrogauerunt rursus Theodosius et Valentinianus, dum *L. 29. C. eod.* etiam sine scripto fieri donationes permiserunt, insinuari vero eatenus iussierunt, quatenus ducentorum aureorum summam excederent: *L. vlt. Cod. Th. de Sponsal. (Lib. III. tit. 5.) L. 34. C. Iust. de Don.* donec Iustinianus primo donationem ultra trecentos aureos d. *L. 34.* postea, mutata sententia, eam, quae quingentos superaret, insinuari praecepit: *L. 36. §. vlt. C. eod.* Quae quidem constitutiones post Constantinum, in primis a Iustiniano conditae, quatenus ad nostrum quoque donationis genus spectauerint, statim adiciam, quum iam, quid Imperator circa vniuersam donationum m. c. formam immutauerit, adecuratus sit exponendum. Pendet vero forma nostrarum donationum Iustiniana a recto intellectu duarum Imperatoris sanctionum, quarum ea, quae tempore prior est, existat in d. *L. 35. §. vlt. C. de Donat.* posterior in *L. 4. C. de M. C. D.* quibus iungi praeterea possunt *§. 1. et 2. I. de Donat.* et *Nou. LXXXVII. praef.* Ac primam quidem constitutionem, qua donationibus, per stipulationem haud contractis, traditionis sollemnitas remissa est, vt, quamvis nudo pacto celebratae,

C 3

tamen

■ ■ ■ ■ ■

tamen actionem aduersus promissorem gignant, ad solas donationes inter viuos faciendas spectauisse, iam supra monui, adductus potissimum argumentis, a Voorda *Interpret. et Emendd. l. l.*, in clarissima luce positis, quorum summa hoc fere redit. Praeterquam scilicet, quod ipse Imperator, optimus mentis suae interpres, legem illam in d. §. 2. I. retulit ad solas donationes inter viuos, possunt etiam rationes huius sententiae peti ex indele constitutionis, cuius primaria causa, *quod oporteat eum, qui iam donavit, non defraudare propositum suum*, profecto non cadit in donatores m. c. quibus omni tempore sit facultas poenitendi. Ultima vero sanctio- nis verba: *resque donatas non solum eos (donatores) dum supersunt, sed etiam eorum successores reddere compelli non tantum his, in quos donatio facta est, sed etiam eorum heredibus,* manifeste indicant donationem, ad quam viuus donator compelli possit, quae- que vel heredibus donatarii profit; qualis numquam est m. c. donatio. Vnde iam cum Voorda colligimus, ciuili quidem iure fieri mortis causa donationem non posse, nisi traditione vel stipulatione, et hac re differre eam a legato et fideicomisso. Sed obstrepare videtur nostrae sententiae altera Imperatoris constitutio, in d. L. 4. C. de M. C. D. obuia, quae omnes m. c. donationes legatis exaequasse, et quinque adeo testium adhibendorum necessitatem donatori- bus praescripsisse dicitur. Concedo, exaequatum esse no- strum donationum genus vltimis voluntatibus quoad effectus; nego, quoad formam. Si enim paullo adcuratius inspicia- mus Imperatoris verba, ea solummodo pertinere intelligimus ad quaestionem: vtrum m. c. donationes exemptae sint ab in- sinuationis follemnitate, an eidem obnoxiae? Plane igitur non ambigebatur de omnibus m. c. donationibus, sed de iis tantum, quae excederent summam legitimam, qualis tem- pore d. L. 4. editae erat summa trecentorum solidorum propter

propter d. L. 34. C. de Donat. His sane remisit Imperator insinuationis necessitatem, et in locum eius substituit quinque testium praesentiam, dum eas sanxit *actis minime indigere*; neque expectare publicarum personarum praesentiam, et ea, quae super huiusmodi monumentis solent adhiberi; sed ita res procedat, ut si quinque testibus praesentibus vel in scriptis, vel sine litterarum suppotione aliquis voluerit mortis caussa donationem facere: et sine monumentorum adcessione res gesta maneat firmitate vallata, et nullam in ea calumniam adcipiat: neque propter hoc, quod gesta non adcesserunt, inefficax esse atque inutilis videatur. Quae verba adeo efficiunt, ut diccedamus in sententia Fabri et Schifordeghei, quamvis usu fori plane reprobatam, nec quinque testes in omnibus donationibus m. c., sed tunc demum adhibendos esse censeamus, quando legitimum modum excedant: siquidem aperte Iustinianus testes in publicorum monumentorum locum surrogauit. In ceteris ergo inferioris pretii donationibus mortis caussa, nisi adhibiti fuerint quinque testes, obtinere statuimus ius antiquum, et formam vel stipulationis vel traditionis; eaque omnia ex Iustiniani mente, reluctante licet sere toto agmine interpretum.


Haec de forma donationum mortis caussa, a Iustiniano certe non tantum, quantum vulgo creditur, immutata. Nec de effectibus earumdem aliter sentimus, quos tamen definire non possumus, nisi cognita prius controversiarum, olim certe inter Iurisconsultorum sectas de hoc arguento agitarum, indole. Quas quamquam alii in dubium vocare conati sunt, ut Bachouius *Comm. ad §. 1. l. de Donat. p. 368.* Vinnius *ad eund. Inst. locum*, Io. Schilterus *Prax. Iur. Rom. Exerc. XXXIII. §. 28. T. III. p. 29. ed. nouiss.* Voorda *Comm. ad L. Falcid. c. 6. §. 6.* Menkenius *laud. Diff. §. 8. Opusc. p. 563. sqq.* et Ill. Walchius *Nott. ad Eckhardi Hermeneut. Iur. Lib. I. c. 4. §. 158. p. 302.* rectius tamen defenderunt Hoto-mannus

mannus ad L. I. et ult. C. de Donat. cauſſa mort. Opp. T. II. p. 632. et 634. ſqq. Branchu l. l. Io. Sal. Brunquellus Diff. de Iurisconsultis Ercifundis §. 24. Opuscc. p. 445. Gotfr. Maſco-  
vius Diatr. de Seſtis Sabin. et Procul. c. 9. §. 25. Wielingius  
Lib. II. Leſt. iur. ciu. c. 30. et Conf. Cramer l. l. p. 83. licet  
eas minime probari poſſe putem ex L. 4. C. de M. C. D. vbi  
Iuſtinianus more ſuo de diſſidiis, dudum ante ſe compoſitis,  
loquutus eſt, quorum veſtigia, ſi modo tunc temporis ſupér-  
fuerunt, potiſſimum in quaeftione de inſinuationibus m. c.  
donationum decidenda adparuerunt. Grauius ergo argu-  
mentum repetimus ex L. 35. §. 3. D. eod. occaſionem vero  
ex Legi Papiae Poppaeae dubia interpretatione. Quae eti-  
Senatusconfuſto ibidem commemorato ad certum modum  
eſt redacta: nondum tamen finis factus eſt ceteris controver-  
ſis, circa indolem m. c. donationum agitatis. Nam et in  
aliis cauſis, quas e Digestis colligere licet, potuit ſuperereſſe  
Iurisconsultis diſputandi materia, vt dubitateetur, vtrum dona-  
tiones m. c. factae legatis eſſent comparandae, nec ne-  
Cuiuſinodi ſunt quaeftiones de legis Falcidiae ad m. c. dd.  
propagatione: L. 27. L. 41. et L. 42. §. 1. D. de M. C. D.  
L. 77. §. 1. D. de Leg. II. de filiis familias militis circa eis pri-  
vilegiis: L. 15. D. de M. C. D. de reuocandis donationibus  
mortis cauſa, a debitore obaerato celebratis: L. 17. D. eod.  
denique de actionibus, a donatore, quem factae donationis  
poeniteret, ad repetendas res m. c. donatas, instituendis.  
Quemadmodum vero prima quaeftio conſtitutione Septimii  
Seueri, quae in L. 5. C. ad L. Falcid. commemoratur, deciſa  
eſt: ita ad ſecundam et tertiam Iulianus, Marcellus et Paulus  
vno quaſi ore responderunt, rationibus a ſimilitudine legato-  
rum et m. c. donationum petitis, vt proinde nec hic Iuſtiniani  
tempore rixa quaedam reliqua eſſe potuerit. At tanto gra-  
vioribus diſſidiis olim certe locum feciſſe videtur quarta  
quaef-

quaestio, siquidem Cassiani, propterea, quod rei mortis causa  
 traditae dominium a donatore recessisse statuerent, condicione  
 vtendum esse, quasi re non sequuta, putauerunt: *d. L. 35. §. 3.*  
 quam sententiam, quamvis spreta eius ratione, sequuti sunt  
 plurimi et veteribus Iurisconsultis: Iulianus *L. 13. pr. L. 19 et L.*  
*37. §. 1. D. de M. C. D. et L. 4. D. de Donat. int. V. et V.* Africanus  
*L. 23. et 24. D. de M. C. D. Scaeula L. 56. D. de Donat. int. V.*  
*et V.* Tryphoninus *L. 76. D. de Iure dot.* Vlpianus *L. 30. D.*  
*de M. C. D. et Paulus d. L. 35. §. 3. L. 39. et L. vlt. D. eod.*  
 Vnde Branchu et Mascouius *ll. ll.* perquam acute collegerunt,  
 Proculianos, negato dominii in donatarium transitu, dona-  
 tori in rem actionem concessisse, et ita legatis exaequasse  
 nostrum donationum genus, quod Sabiniani ad normam do-  
 nationum inter viuos exigissent. Nec desunt profecto loca  
 Digestorum, quae in rem agi ad reuocandas m. c. donationes  
 posse confirmant; in quo numero sunt *L. 14. et L. 29.*  
*eod.* (nam in *L. 30. eod.* sub *utili actione* intelligo cum Wielin-  
 gio *l. l.* personalem in factum) Maxima vero difficultas in  
 eo est posita, quod haec testimonia ab iisdem Iurisconsultis  
 profecta sunt, qui alibi, vt vidimus, condicitionem donatori  
 tribuerant, puta, a Iuliano et Vlpiano. Quid, quod Vlpianus  
 ipse in *L. 11. pr. D. de Donat. int. V. et V.* sic scripsit: *Interim*  
*res non statim sunt eius, cui donatae sunt, sed tunc demum, quum*  
*mors inequata est;* *MEDIO IGITVR TEMPORE DOMI-*  
*NIVM REMANET APVD EVM, QVI DONAVIT:* quem  
 locum adcipio de omnibus m. c. donationibus, nec solum  
 de his, quae fiunt inter virum et vxorem. Ergo oportet  
 tempore, si non iam Iuliani, certè Vlpiani, vel hanc sectarum  
 contentionem deferuisse, in primis ex quo, comparatis a  
 praestantissimo quoque Iurisconsulto (ceu ipse Imperator *Nou.*  
*LXXXVII. praef. iudicat)* mortis causa donationibus cum  
 legatis, tres earum donationum species distingui coepérunt,

D


quas



quas ipse Vlpianus L. 2. D. de M. C. D. ex Iuliano refert, et  
quarum secundae et tertiae adcurate respondet d. L. 29. eod.  
Habebit enim donator ex qualibet donatione m. c. siue nullo  
praesentis periculi metu, sed sola cogitatione mortalitatis li-  
beralitatem exercuerit, siue imminente periculo commotus  
ita donauerit, ut statim res fieret adcipientis, siue eiusmodi  
suspicione adductus dederit hac lege, ut res, morte demum  
insequuta, fieret adcipientis, his omnibus, inquam, in cau-  
sis habebit donator praeter condictionem caussa data, caussa  
non sequuta, etiam in rem actionem, sed in altera specie  
non prius, quam superato periculo, vel recuperata valetudi-  
ne. Medio enim tempore in rem agere potest is, cui dona-  
tum est. Quidquid igitur Iustiniani aestate superesse potuit  
altercationis de m. c. donationum indole, id omne spectauit  
ad insinuationis necessitatem, quam dum Imperator plane  
tolleret, ut maiora etiam molitus videretur, suaequa vanitati  
indulgeret, non potuit non, oblata hac occasione, mortis  
caussa donationum effectus, quales iam dudum antiquitas  
adgnouerat, magna verborum pompa sibi vindicare: cuius  
adrogantiae repetita vestigia exstant in §. 1. I. de Donat. et d.  
Nou. LXXXVII. praef. Neque tamen eo valuit m. c. do-  
nationum cum legatis instituta comparatio, ut omnes vtrius-  
que generis differentiae proscriberentur; quas post Graecos  
ad d. L. 25. 27. et 35. D. de M. C. D. animaduerterunt, quotquot  
fere Digestorum libros aut iustis commentariis illustrare, aut in  
artis formam redigere adgressi sunt. Quibus si quis e Voor-  
dae Interpp. et Emendd. l. l. adiecerit, quae vir doctissimus de  
actionibus ad legata petenda proficius, sed a m. c. dd. prorsus  
alienis, obseruauit, id certe nobis concedatur, necesse est,  
iuris Iustinianei in hac materia vicissitudinem non esse tam  
insignem, ut, posthabita omni Digestorum auctoritate, solani  
Codicis aut Nouellarum disciplinam religiose sequi debeamus.

Sed

Sed redeat, vnde digressa est oratio, ad errores communis opinionis, nunc multo facilius profligandos, ex quo de causis sinistram interpretationis constitit. In quo argumento persequendo ita versabimur, vt, detectis aliquot apertis adversariorum calumniis, nostram ante omnia opinionem confirmemus, confirmatam autem a reliquis dissentientium iniuriis, quarum iniquitas e nostrarum demum rationum firmitate elucescat, vindicemus. Sequuntur autem in refellendis regulæ a mortis mentione profectae exceptionibus Menochii ordinem, supra indicatum, primum disputabimus contra coniecuram donationis inter viuos, inde captam, quod in ea celebranda quinque testes non interuererint: cui praeter Menochium adstipulati sunt Mantica d. l. Lib. I. tit. 13. §. 15. et Carpzouius l. l. P. III. Conf. 1. def. 41. Praeterquam vero, quod constitutio Iustinianeæ, quæ quinque testimoniū sollemitatem introduxit, non de qualibet m. c. donatione, sed de ea tantum, quæ modum legitimū excedat, est adcipienda, vt proinde minoris pretii donationes etiam absque testimoniis valcent, tamquam mortis caussa conditae, adhibita modo stipulatione vel traditione: illud certe vel contra hos, qui, forensēm tritaram propugnaturi, quinque testimoniū usum ad omnes m. c. donationes propagant, cum Giphanio l. l. p. 270. et Bauero Pr. laud. Opuscc. T. I. p. 289. monendum esse videtur, efficere donatorem non posse, ne leges in donatione sua locum habeant; quemadmodum nec sustinetur ultima voluntas ob neglectam formam instar codicilli, si adparuerit, testatorem non codicillum, sed testamentum facere voluisse: L. 14. C. de testam. Qua cerebrinae aequitatis spe, cie confutata, veniamus ad alteram Menochii coniecuram, ex mentione heredium donatarii, in donatione facta, desumtam; quam etiam Andr. Alciatus ad L. 19. D. de Reb. cred. Opp. T. I. p. m. 282. et Strykius l. l. tit. de M. C. D. §. 8.




probauerunt. Sed iure iis intercessit praeter Giphanium *l. l.* Faber de Errorib. Pragm. Dec. XXXXVII. Err. 6. qui vel huiusmodi donationem putat factam esse caussa mortis, cum vulgari substitutione in fauorem heredum donatarii: qualem m. c. donationibus adiici posse, *L. 10. D. de M. C. D.* manifeste euincit. Et occurrit sane exemplum illustre huiusmodi liberalitatis, pro mortis caussa donatione habitae in *L. 42. pr. D. eod.* cui doctissimus contigit interpres Cuiacius Lib. III. Obff. c. 17. Sequitur aliud lignum donationis inter viuos, a meritis donatarii, quae donationem praecesserint, petitum, quod, tamquam incertum et a iuris ratione alienum, recte reiecerunt Giphanius *l. l.* Hahnus *l. l. T. II. p. 622.* et b. Bauerus laud. Pr. Opusc. T. I. p. 286. Quamquam enim, quod inter viuos donatum est remunerationis gratia, reuocari nequit, quamvis infinite donatum sit: *L. 34. §. 1. D. de Donat.* mortis tamen caussa meritis donatarii non mutatur, siquidem alioquin nulla fere futura esset m. c. donatio, quae non hac ratione conuerti possit in donationem inter viuos, quum plerunque aut sub meritorum donatarii in donatorem commemoratione, aut certe propter ea m. c. donari soleat. Quem in modum iam veteres Iurisconsultos respondisse, adparet ex *L. 9. D. Pro socio*, vbi Vlpianus: *nec adiecit Sabinus, hereditatem, vel legatum, vel donationes mortis caussa, sine non mortis caussa: fortassis haec ideo; quia non sine causa obueniunt, sed ob meritum aliquod adcedunt: vnde idem in sequente Lege 11. hereditatem, legatum et donationem, auctore Q. Mucio, coniunxit.* Ac si vera esset Menochii coniectura, haud video, eur non et legata bene meritis relieta, quae eodem iure cum donationibus mortis caussa factis vti, vel d. *L. 9.* comprobat, tam firma sint, vt nullo modo a testatore reuocari possint, quod tamen nemo vimquam adfirmare ausus est. Venio ad proximam donationis inter viuos coniecturam, quam, licet mortis

mortis mentione facta, tunc capi posse vult Menochius, si  
 donatio omni meliori modo, iure et forma, quibus magis  
 potuit donator, facta sit. Quisque autem intelligit, hanc  
 speciem pendere a formula donationis, superflua prosector,  
 dum ipsa donatio formae receptae conueniat, nec plane vtili,  
 si ab ea recedat. Id igitur vnice ex istis verbis sequitur,  
 voluisse donatorem, forsan, ne vitii quid in donationem  
 irrepperit, veritum, omni modo efficere, vt liberalitas sua  
 exitum habeat, nec formae neglectae obtentu impugnari  
 possit. Iam quim etiam m. c. donationibus follemnitates  
 a legibus sint praescriptae, quidni donatorem de harum  
 dumtaxat medicina cogitasle dicamus? Sed pudet immorari  
 his nugis, quibus non multo subtiliora sunt bina, quae apud  
 Menochium sequuntur, pro donationibus inter viuos argu-  
 menta. Nam, si mortis mentio facta est tantum generatum,  
 vt, si a muliere donatum est soluto matrimonio, intelligitur  
 donatio sub conditione collata, cuius tamen vis non haec est,  
 vt necessario demum post mortem donatricis exsistat. Ergo  
 nec potest proprie sub mortis mentione facta dici huiusmodi  
 donatio, nisi omnem donationem, cuius conditio mortuo  
 demum donatore impleta sit, in hunc censum referre veli-  
 mus; quod tam absurdum foret, quam quod absurdissimum.  
 Quae vero octauo loco a Menochio adlata est pro donationi-  
 bus inter viuos conjectura, non differt a decima, ac per-  
 tinet ad donationes huiusmodi, in quibus reuocandi facul-  
 tate donator sponte se abdicavit; quarum veram indolem,  
 quum a recta mortis in donationibus commemoratae inter-  
 pretatione vnice pendeat, infra indagabimus. Nonam vero,  
 petitam a caussa, quae inter viuos dumtaxat locum habere  
 potest, v. c. matrimonii, vel dotis, vel alimentorum, optimo  
 refutat L. 76. D. de *Iure dot.* vbi pater mulieris, qui mor-  
 tis suae caussa dotem promiserat, si conualuerit, condicatio-

—————

nem habere dicitur reuocandae promissionis gratia; quae certe cadere non potest in aliud genus donationis, quam quod morte denum donatoris confirmetur. Porro nec ex hoc quidquam sequitur pro amplificandis donationum inter viuos finibus, si donator exceptit multa bona ex rebus donatis, ut de illis posset libere disponere: quae species est apud Menochium vndeclima inter exceptions. Siue enim omnium bonorum (quae iam iure Rom. donari posse, L. 35. §. 4. C. de Donat. aperte probat), siue plurimorum facta sit hoc modo donatio: nihil aliud tamen exinde potest colligi, quam donatorem quoad reliqua bona renunciasse potestati, liberalitatem reuocandi; ideoque nec haec species differt ab alia quavis lege, qua donator donationem voluit esse irreuocabilem; qualem infra cum nostro donationum genere conciliabimus. Multo minus ab insinuatione donationis ad mutatam eius indolem cum Menochio et Mantica dd. II. duci potest argumentum; siquidem abundans cautela nec nocet, nec naturam negotii inflectere valet: L. 6. §. 1. D. de Negot. geß. L. 17. C. de Testam. Nos vero propter Consit. Elec. Sax. I. P. III. eo iure vtimur, vt adeo necessaria sit aliquando in m. c. donationibus insinuatio iudicialis; puta, in iis, quae omnia donatoris bona adsciriunt; quapropter pessime consulturus esset menti donatoris in Saxonia, qui ex sola confirmatione iudiciali coniecturas donationum inter viuos caperet. Sequuntur apud Menochium duo donationum inter viuos signa; tam aperte falsa, vt verbo ea refutasse sufficiat: quis enim, iuris siue antiqui siue noui de m. c. donationibus vel tantillum peritus, fibi persuaserit, dominium rei donatae in donatarium statim translatum, aut verba *habendi* et *tenendi*, in donatione exhibita (quae ipsam adeo m. c. donationis definitionem a veteribus Iurisconsultis propositam ingrediuntur), efficere posse, vt donatio, ceteroquin mortis causa factae haud

haud absimilis, degeneret in donationem inter viuos? Itaque ultima supereft Menochii coniectura, ab arctiore donatarii cum donatore coniunctione petita; quae optime refellitur verbis b. Baueri l. l. obuiis: *talis caufa rationem quidem reddit, eur donator huic magis, quam alteri alioi donauerit, sed non prohibet, ne donatio, ob mortis fufpicionem peracta, sub conditione facta ceyfatur.* Ceterum potest ad hoc argumentum eodem modo responderi, quo supra respondimus ad meritorum donatarii male auctam a nonnullis efficaciam. Quae vero aliis, teste Fabro l. l. indicio esse visa est, donatarii praefentia aut absentia, ex qua colligeretur vel mortis caufa, vel inter viuos donatio, tantum abeft, vt semper locum inueniat, vt innumera occurrant exempla donationum inter viuos, praefentibus factarum; quamquam id fateamur necesse est, mortis caufa donationes nec ex antiqui, nec ex recentioris iuris disciplina conferri in absentes posse. Vnde si absenti donatum fit mortis caufa, non magis valebit huiusmodi donatio, quam si alia quaecumque donationis forma fuerit neglecta, nisi, quod in sola debiti per m. c. donationem remissionem obtinet, pacto nudo celebrari possit; quale exemplum exstat in L. 15. pr. D. ad L. Falcid. Tunc enim efficit pacti nudi indeoles, vt etiam absenti conferre liberalitatem suam donator possit. Quam quidem interpretationem si vnu fori haud comprobari lectores intellexerit, meminerint, quae sumus, nos in tota iuris nouissimi, quod circa m. c. donationes introductum fit, indeole constituenda a communi interpretum opinione discessisse. Restat, vt de L. 29. §. 2. D. de Paſt. dotal. ex qua Iafon potiffimum coniecturam donationis inter viuos exsculpfit, sententiam dicamus; in qua optimum ducem sequemur Giphanium l. l. p. 266. sq. Species legis haec eft: *mulier de dote, quam dedit, paſta eft, vt, si in matrimonio deceſſet, fratri eius redderetur; ifque in eum casum stipulatus eft.*



est. *Mulier descendens quasdam res dotales marito legavit, et aliis; quosdam ex seruis dotalibus manumisit.* Quae situm est, an maritus earum nomine, quas legavit mulier, et seruorum, quos manumisit, fratri tenetur? Respondi, nihil proponi, cur non teneretur; quam etiam heredes defunctae tam legatariis, quam libertatibus obnoxii sint. Videntur autem Glossographi in hoc exemplo sibi inuenisse donationem inter viuos, quia dos fratri restituenda non minuitur per legata et manumissiones, quibus alioquin vera mortis causa donatio, antea facta, reuocatur. Putant ergo id sequi ex denegata donatoribus, qui inter viuos liberales fuerunt, poenitendi facultate. Praeterquam vero, quod L. 2. C. de D. C. M. quae eandem plane exhibit speciem, disertis verbis eam ad m. c. donationes refert, ac legi Falcidiae subesse pronunciat, fratri, qui dotem sibi reddi a marito stipulatus est, non potest auferri ius suum propter ipsam illam stipulationem, quae maritum plene obligat: non propter fororis voluntatem irrevocabilem, vt pote quae, dum viueret, potuisset maritum liberare a tota obligatione, si voluisse. Quod quam factum non sit, maritus integrum praestabit dotem fratri, sed heredes vxoris rursus marito praestabunt, quidquid legatorum vel manumissionum nomine de dote exsoluerat.

Diu vero immorati aliorum opinionibus refutandis, tandem, quid nobis de m. c. donationum indole videatur, exponamus. Summa autem sententiae nostrae, quam statim pluribus argumentis confirmabimus, huc redit: *nullam conferri posse donationem in euentum mortis, nisi quae et ipsa mortis causa donationis naturam induat; mortis mentionem solam sufficere ad coniecturas m. c. donationum capiendas, nec alio indicio opus esse; proferendos ergo potius esse m. c. donationum fines, quam, quod hactenus factum sit, coartendos.*

---

CAPVT


## C A P V T III

*Primum nostrae sententiae argumentum repetitur ex constantia Iurisconsultorum Romanorum in definienda mortis caussa donatione.*

**Q**uemadmodum vero iam ipsae rationes, quibus plurimas donationum inter viuos coniecturas, in superiore capite comprehensas, infirmauimus, eo valent, ut, a sola mortis mentione mortis caussa donationum indolem pendere, intelligatur: ita nec peculiaria desunt argumenta, quae nostrae sententiae nouum robur addant, et veros m. c. donationum fines vindicent. Quam quidem mortis in donatione commemoratae vim primum adiuuari censemus constantia Iurisconsultorum Romanorum, qui, mortis caussa donationem descripturi, non alia fere formula vtantur, quam hac: *mortis caussa donationem esse, quem magis se quis velit habere, quam eum, cui donat; magisque eum, cui donat, quam heredem suum: v. L. I. pr. et L. 35. §. 2. D. de M. C. D. §. 1. I. de Donat.* quamquam Institutionum locus praeter realem illam, exhibit quoque aliam nominis definitionem, ut animaduertit Giphanius *Comm. ad d. §. 1. Inst. p. 189.* more Iurisconsultis sollemni, cuius indolem praecclare exposuit b. Io. Theoph. Segerus in *Diff. de consilio veterum Iurisconsultorum in contingendis nominis ac rei definitionibus, Opuscc. p. 236. sqq.* Vulgaris formulae sensum expressit non solum Imp. Antoninus, dum in *Oratione de confirmandis donationibus inter V. et V. fas esse, sanxit, eum quidem, qui donauit, poenitere; heredem vero eripere forsitan adversus voluntatem supremam eius, qui donauerit, durum et auarum esse: L. 32. §. 2. D. de Don. int. V. et V.* sed etiam Gothicus

E

Pauli



Pauli *Lib. II. Sentit. Recr. tit. 23. §. 6.* interpres, qui hac verborum sollemnitate m. c. donationes celebrari tradidit: ILLVM AGRVM, AVT ILLAM DOMVM TE MALO HABERE, QVAM ME (vbi inuersa ratione legendum esse: me m. h. q. te, viderunt iam Conr. Rittershusius et Ant. Schultingius ad h. l. *Iurispr. Anteiusf. p. 312*); TE, QVAM HERedes MEOS. Nec absurdia est comparatio eius, qui mortis causa donat, cum vectore, qui nauis exonerandae causa mercium iactum facit, a N. a Salis *Sicilimentor. p. 323.* instituta. Ut enim ille mauult se habere, quam donatarium: ita hic mauult rem saluam habere, quam ea carere, alteriusue eam facere; sed quia vterque, quod vult, desperat, quod non vult, tentat. In constituenda autem m. c. donationum indole videntur sane veteres artis nostrae conditores ante oculos habuisse in primis antiqua donationum exempla, quale est celebre illud Homeri *Odyss. Lib. XVII. v. 78. sgg.* quod docte illustrauerunt Iac. Gothofredus *Diatr. de Cenotaphio p. 14. Opuscc. a Franc. Car. Conradi editt.* Sam. Fermat *Diss. de autoritate Homeri apud Iurisconsultos, quae exstat in Suppl. Thes. Meerm. p. 538.* et Gerh. Oelrichs *Diss. de vita, studiis, honoribus et scriptis Aelii Marcianni, cap. 5. §. 3.* Similes certe species leguntur in Euripidis *Alceste p. 1020. sgg.* Demosthenis *Or. aduersus Callippum, Vol. II. p. 1242. ed. Reijk.* et Liuui *Lib. XXXII. c. 38.* in quibus singulis propter periculum imminens res ita sunt traditae, vt statim fierent accipientis, reddendae demum donatori, si saluus e periculo eualisset. Vnde etiam Paulus *Lib. III. d. l. tit. 7. §. 1.* mortis causa donationem a periculi metu ait proficiisci: *moris causa donat, qui ad bellum proficitur, et qui nauigat, ea scilicet conditione, ut, si reuersus fuerit, sibi restituatur; si perierit, penes eum remaneat, cui donavit: cf. Branchu l. l. p. 24.* Postea, quum subtilius disputare coepissent de natura harum donationum

*Iuris-*

Iurisconsulti, receperunt in earum censum et has, quae, sola cogitatione mortalitatis, sine metu imminentis periculi factae, saepenumero ita celebrarentur, ut res, morte demum donatoris insequuta, fierent eorum, quibus donatae essent. Quae tamen finium m. c. donationis propagatio minime reddidit frustaneam operam, definiendae eius indoli a praestantissimo quoque Iurisconsulto ad id usque tempus adhibitam, quum vel is, qui nullo periculi metu commotus rem in euentum mortis promittit, nec statim tradit, eam magis ipse habere velit, quam donatarium suum; hunc vero magis, quam heredem. Inest enim huic descriptioni mortis conditio, quae ex heredum donatoris mentione fluit, nec ab illa m. c. donatione abesse potest; quapropter formula eius et nouissimi iuris rationibus consentanea, et ad probandam veram m. c. donationum indolem, ex sola mortis mentione dijudicandam, aptissima nobis videtur; quantumuis displicuerit Iusto Claprothio, V. Ill. qui, dum in *Iurispr. heuremat.* (*Rechtswissenschaft von richtiger und vorsichtiger Eingehung der Verträge und Conträste*) T. I. p. 336. hanc definitionem tamquam ineptam reprehendit, causa tamen, propter quam ita ceneat, haud addita, id ipsum vituperat, sine quo naturam m. c. donationum intelligi non posse, arbitramur.

## C A P V T V

*Ex mortis cauffa donationum exemplis, quae in ipsis  
legibus recensentur, alterum nostrae sententiae  
argumentum dicitur.*

**Q**quam recte autem sibi constet veterum illa definitio, tota-  
que de m. c. donationum indole, quam nos defendimus, sententia, amplius adparebit ex ipsis nostri negotii spe-  
ciebus, in iure Romano obuiis, quarum singulas ad mortis  
conditionem, qualem supra posuimus, posse reuocari, nunc  
probabimus. Quo melius autem intelligi queat, in quo  
variae m. c. donationum figurae vel conueniant, vel discre-  
pent, placet tabulam, ex ipsis fontibus haustam, quae singula  
*σχήματα* exhibeat, oculis subiçere.

*Mortis cauffa donatio celebrari potest*

A) propter mortem *tertiū* (L. 8. L. 11. et L. 18. pr. D. de M.C.D.)

B) propter mortem *ipsius donatoris*. Quod donationis genus di-  
versum est

I. pro *cauffa*, quae ad donandum *impulit* donatorem. (L. 2. L.  
31. §. 2. et L. 35. §. 4. D. et L. 4. C. eod.) Fit enim

a) vel *extra suspicionem vilius periculi*, ex sola cogitatione mor-  
talitatis; (L. 35. §. 4. D. eod.)

b) vel *ob periculi suspicionem*; (L. 35. §. 4. D. eod.)

α) aut ex *praesenti* periculo.

β) aut ex *futuro*.

II. pro

II. pro *conditione*, sub qua donatarius rem donatam teneat.  
(*L. 2. D. eod.*) Haec enim

a) vel ita concepta est, vt donatarius rem donatam *iam nunc habeat*; (*L. 2. D. eod.*) vbi

A. aut *de reddenda vel non reddenda re sermo* fuit, vt donatarius eam

a) aut *numquam reddat*, ne si conualuerit quidem donator, vel e periculo euaserit; (*L. 13. §. 1. L. 27. et L. 35. §. 4. D. eod.*)

b) aut *reddat* quidem, sed solummodo

1) si donator periculum superauerit; (*§. 1. I. de Donat. L. 8. L. 13. §. 1. L. 29. et L. 35. §. 4. D. de M. C. D.*)

2) si ipse (donatarius) prior deceperit; (*§. 1. I. de Donat. L. 13. §. 1. et L. 35. §. 4. D. de M. C. D.*)

3) si quandcumque donatorem poenituerit factae donationis; (*§. 1. I. de Donat. L. 13. §. 1. et L. 35. §. 4. D. de M. C. D.*)

B. aut *de reddenda vel non reddenda re nihil cautum* est; vbi donatio omnimodo euanescit, siue donator superstes fuerit, siue donatarius prior deceperit, siue donator mutauerit voluntatem. (*L. 13. pr. L. 16. et L. 32. D. eod. L. 15. fin. D. de Manumiss.*)

b) vel ita placuit, vt donatarius rem *nunc quidem non habeat*, sed morte demum donatoris insequuta adcipiat. (*L. 2. et L. 29. D. de M. C. D. L. 11. §. 1. D. de Donat. int. V. et V.*)

Illustrationis gratia haec addimus. Primum oportet animaduerti, Iurisconsultos veteres paullo negligentiores fuisse in describendis singulis m. c. donationum speciebus; a qua reprehensione ne ipsum quidem Iustinianum

—————

num sibi cauisse, probat d. §. 1. I. de Donat. vbi sola commemorantur exempla, quae reddendi conditionem continent, omissa donatione, a morte demum donatoris perfecta. Nemo autem festinans in arguento hoc versatus est Vlpiano, qui tres donationum m. c. classes in L. 2. D. de M. C. D. constituendo rem ita proposuit, quasi in donations, ex sola mortalitatis cogitatione factas, nullum cadat discripen, a traditione vel iam sequuta, vel in tempus mortis dilata, profectum. In L. 29. autem idem duobus adeo speciebus adquieuit, omissa conditione poenitendi, et praecocis mortis donatarii; quam festinanti sub fine eius fragmenti aegre correxit. Omnium contra optimum huius doctrinae magistrum habemus Paulum in L. 35. §. 4. eod. nec multo inferiorem Marcellum in L. 13. §. 1. eod. quorum etiam vestigia, quantum fieri potuit, sequuntur sumus. Porro, posse etiam mortis causa tertii donari, patet ex locis legum adiectis, et vterius probauit Conf. Cramer I. l. p. 72. sgg. Nec abit eiusmodi donatio semper in mortis causa capionem, nisi sub hac intelligas etiam donationis mortis causa collatae acquisitionem, a donatario factam. Nam, quod obiter monemus, videtur m. c. capio dupli sensu occurrere; altero generali, quo significet omne lucrum, cuius propter mortem alicuius capiendi occasio obueniat, ne mortis quidem causa donatione excepta, quatenus tantum eius acquisitionis a parte donatarii spectetur: vt in L. 8. pr. et L. 18. pr. et §. 1. D. eod. strictiore altero, quo excipiuntur capiendi figurae eae, quae proprio nomine appellantur: L. 31. pr. et §. 2. L. 38. et L. 41. D. eod. Inter donations vero, quae reddendi conditionem continent, cernitur aliquod discripen subtile, quod obseruauit Ge. Christ. Gebauer Ord. Institt. tit. de Donat. §. 5. p. 55. vt, quae propter periculum a donatore superatum, aut praeeodem donatarii mortem irritae sint, absque

absque reuocatione euanescant, quae vero sola mortis cogitatione sunt celebratae, reuocatione egeant, si donatorem rursus poenituerit. Denique et illud monendum est, etiam donationes remissorias, per nudum pactum contractas, quas ipsas quoque mortis causa subinde factas esse, L. 24. L. 28. L. 31. §. i. et vlt. D. eod. et L. 15. pr. D. ad L. Falcid. euincunt, in nostra descriptione esse comprehensas, siquidem omnes pertinent ad genus donationum id, ex quo donatarius rem iam nunc habeat.

Ei autem usui potissimum inseruit σχῆμα, quod suppeditauimus, ut mortis mentionem a nulla donationum mortis causa figura abesse posse, elucescat. Quamquam enim non semper in conditione redhibendi occurrit mortis mentio, numquam tamen eius cogitatio esse definit causa, quae ad donandum impellat, sive remotior illa, sit atque ad solam fortis humanae recordationem pertineat, sive proximior, et cum imminentे periculo coniuncta. Alias autem donationum mortis causa species praeter eas, quas proposuimus, inueniri in ipsis veteris iurisprudentiae fontibus non posse, nec praeter mortis mentionem quidquam aliud iis necessario inesse, facile concedet, quicumque artificium figurarum, quale in tabula nostra exhibuimus, eiusmodi esse intellexerit, cuius singulæ formæ, quantumuis inter se diuersæ, tamen ad communem m. c. donationum definitionem, in superiori capite explicatam, mirifice conplicant.

## CAPVIT

## C A P V T VI


*Mortis mentio in mortis causa donationibus qualis esse possit, exponitur, ad confirmandum postremum sententiae nostrae argumentum.*

Restat argumentum grauissimum, quod pro nostra sententia ab ipsa mortis mentione, qualis in m. c. donationibus esse potest, ducitur. Ut autem de eius in m. c. donationibus efficacia constet, age, prius, quotuplici consilio mors in aliis quoque negotiis commemorata intelligatur, disquiramus. Esse igitur mortis mentionem triplicem statuimus, primi vero generis eam, qua fôrs humana, tamquam causa, quae ad celebrandum negotium impulerit, exprimatur. Hoc quidem sensu, ut exemplis res clarior fiat, *moris causa* praeter donationem contingere dicitur in iure nostro etiam manumissio: L. 15. D. de *Manumiss.* amotio rerum maritalium: L. 21. pr. et L. 22. pr. D. de *Act. rer. mot.* alienatio a liberto in fraudem patroni facta: L. 1. §. 1. D. *Si quid in fraud. patr.* Deinde potest a mortis conditione negotium aliquod suspendi, quod sit in qualibet ultima voluntate; denique mors solet habere functionem temporis, usque ad quod negotium iamiam perfectum subsistat, morte insequuta rursus dissoluendum, velut in stipulationibus in singulos annos, quoad is, a quo alter stipulatus est, viuat, conceptis. Quae quidem mortis commemorandae consilia cadunt tantum eatenus in m. c. donationes, quatenus non repugnant menti donatoris, qui magis se rem habere velit, quam donatarium, donatarium vero magis, quam heredem suum: qualem esse perpetuam m. c. donationum notam, supra obseruauimus. Vnde vix est, quod

quod moneamus, hic sermonem esse de sola *donatoris* morte; magis autem vrgebimus, eam *clare debere exprimi*, aut certe *talem conditionem tenendae a donatario rei donatae adponi*, e qua, donatorem maluisse rem sibi habere, quam donatarium, donatarium vero, quam heredem suum, adpareat. Nam, quod ex L. 7. C. de *Condit.* ob *cauff. dat.* probauit Menkenius *Diss. laud.* §. 11. p. 566. cauffam in mente retentam nihil operari, id etiam in nostro donationum genere obtinere, manifeste patet ex L. 42. §. 1. D. de M. C. D. quae negat donationem a moribundo sine conditionis mentione factam adcipi oportere instar m. c. donationis. Talis vero conditio non est, si quis, nulla mortis mentione facta, statim det inter viuos, hac tamen lege, vt in partem hereditatis debitam aliquando imputetur; quae species occurruunt in L. 25. pr. D. de *Inoff. testam.* et L. 3. §. 18. D. de *Bonis libert.* Ipsa enim conferendi necessitas, donatario imposita, declarat voluntatem donatoris, vt is, cui facta sit donatio, post mortem suam tamquam heres eam retineat, non vero, vt potior sit donatarius hereditibus ceteris. Viuum autem donatorem his in cauffis sibi habere rem maluisse, nemo dixerit. Ergo nullam c. donationum nota cadit in huiusmodi species, quia cum tacita mortalitatis contemplatione, quae sane hic negari nequit, conciliari non possunt cetera donationum mortis caufsa signa necessaria. Secus vero pronunciandum videtur, si expressam mortis mentionem iniecerit donator; quae sane proditione esset vel in huiusmodi exemplis m. c. donationem veram, viuo donatore revocabilem. Similis fere pugna intercedit inter m. c. donationum indolem et mortis mentionem talem, qualem ultimo loco descripsimus. Quamquam enim donator, qui, quoad ipse viuat, donatario aliquid se praestitum esse promisit, ad mortem suam respexit: tamen non eo consilio respexit, vt et post mortem suam donatarius idem commodum conse-

F

quatur,



quatur, ac proinde heredi in retinenda re donata p<sup>r</sup>aeferatur. Imo finem liberalitatis mors tunc adfert, non initium: magisque dicenda est donatio mortis cau<sup>s</sup>a adminta, quam collata. Ac latet quidem in L. 34. D. de M. C. D. quae huic sententiae videtur aduersari, plane alia species, dum Marcellus, *mortis cau<sup>s</sup>a donationem etiam sic confitui posse*, tradit, *ut quid stipuletur in annos singulos, quoad viueret: scilicet, VT POST MORTEM PROMISSORIS INCIPIAT EXACTIO.* Ergo addita fuerat stipulationi conditio, ne viuo donatore exigentur annuae p<sup>r</sup>aefstationes, quae ipsa donatio tunc defendi potest, tamquam ab euentu mortis suspenfa. Nec intelligimus, quomodo Menkenius laud. Diff. §. 15. p. 570. mortis mentioni in nostris donationibus obuiac adscribere potuerit conditionis, sub qua soluantur, potestatem, quum certe L. 1. pr. D. de Donat. clare ostendat, quatenus m. c. donationibus insint conditiones, quae resoluendi vim habeant. Ita enim Julianus: *quam quis ea mente donat, ut statim quidem faciat adipientis, si tamen aliquid factum fuerit* (v. c. mors praecox donatarii, donatoris poenitentia, vel recuperata valetudo), *aut non fuerit* (v. c. mors donatoris ex ipso periculo), *velit ad se reverti: non proprio donatio dicitur.* Sed totum hoc donatio est, quae sub conditione soluantur, qualis est mortis cau<sup>s</sup>a donationis. Nisi igitur velimus verbis ludere, et morti donatoris (nam donatarii morte non vtimur) in nostro donationum genere conditionis resoluentis vim eatenus tribuere, quatenus aliquando, *si non sit inseguuta*, donationem rescindat (v. c. si donator saluus e proelio euaserit): duplēcē tantum mortis in m. c. donationibus potestatem adgnoscemus, vt sit vel conditionis instar, quae ad donandum impellat, vel temporis, ex quo donatio, aut nondum perfecta incipiat, aut perfecta quidem, sed reuocabilis, in perpetuum conualescat. Quae quum ita sint, quis est, qui dubitet, alterutrum ad m. c. donationem

nem constituendam sufficere, et a sola mortis mentione eius efficaciam pendere? Ac primum quidem mortis, quatenus ad donandum commouit, officium tam praeciale exposuit Menkenius *l. l. §. 11 — 22. p. 566. sgg.* vt addi eius argumentis nihil plane possit. Illud igitur vnicce mone mus, verissimum videri, quod vir doctissimus, rationibus e *L. 2. L. 13. §. 1.* *L. 30. et L. 35. §. 3. D. de M. C. D.* in primis vero e *L. 16. D. de Manumiss. petitis, §. 19. p. 575.* probatum dedit, non excusandum esse errorem eorum, qui contendant, in donatione mortis causa praeter cogitationem mortis declarata, opus esse, ut donator etiam effectum donationis in euentum mortis, verbis expressis, differat. Imo habet mortis, tamquam caussae, quae ad donandum impulit, mentio eam vim, ut donationem sua natura suspendat in euentum mortis, licet differenda donationis conditio expresse non sit addita, seu, vt verbis B. Phil. Vicat *Vocabul. iur. vtr. v. Donatio, T. I. p. m. 464.* vtar, mortis mentio in negotio gratuito hanc vim habet, ut donantis voluntas ambulatoria videatur usque ad mortem, nisi ubi ita donatur, ut nullo casu reuocetur. Quod etiam sensisse videtur Harmenopulus, dum *Lib. III. Manual. LL. tit. 1. §. 2. Suppl. Thes. Meerm. p. 161.* naturam m. c. donationis his verbis explicatiorem reddidit: Τὸν δωρεῶν αἱ μὲν — αἱ δὲ, ἐν αἵτιᾳ θανάτου γνώμεναι, καὶ μητὰ τὸν, ὡς εἰπεῖν, αἵτιον ταύτης τῆς δωρεᾶς, θάνατον, τὴν περιάλωσιν καὶ τὴν βεβαίωσιν ἔχοῦσσαι. *Donationum — aliae mortis causa sunt, et POST CAUSSAM, ut ita dicam, huius donationis, nimirum mortem, vires et confirmationem nanciscuntur,* Alteram vero mortis in donationibus commemoratae functionem, ex qua temporis, unde eius robur pendeat, loco fit, nemo negabit sufficere ad indicandam mortis causa donationem, siquidem et ipsa simul instar est caussae, quae ad donandum induxerit. In promtu est exemplum, quo clarior res fiat. *Donat quis centum, hac lege, ut restituatur,*

F 2

CAPIT

tur, si donatarius prior decesserit. Nulla hic mortis cogitatio, nisi quae in ipsa redhibendi formula occurrat. Et tamen est mortis causa donatio, cui utraque nota insit, tum tecta mortis, qua liberalitati exercendae occasionem praebuerit, mentio, tum aperta donationis in mortem donatoris collatio. Cf. L. 42, pr. D. de M. C. D.

CAPUT

## C A P V T VII

*Vindicatur sententia nostra a tribus aduersariorum  
conieciuris.*

Iam quamquam argumentis, quae pro corroboranda sententia nostra protulimus, tantum ponderis inesse confidimus, vt ea vix aliis praesidiis egere videatur: resellendae tamen reflant tres aduersariorum conjecturae, quas, Cap. II. iam a nobis propositas, impugnare propterea nondum potuimus, quod iudicium de iis ferendum omne penderet a firmitate rationum, quae, vt a communi opinione discederemus, nos quidem commouerunt. Videtur ergo plerisque interpretibus, vt ab hac specie incipiamus, ea donatio esse inter viuos facta, quam, et si mortis mentione iniecta, tamen donator ipse differtis verbis adpellauerit donationem inter viuos. In quo errore praeter Menochium, vt ceteros taceam, versantur in primis Mantica d. l. Lib. I. tit. 13. §. 11. et Hotomanus Consil. 73. §. 18. Opp. T. II. p. 377. sq. qui omnes vrgent, ab oratione clara coniecturas exsulare, et vnicce sequenda esse verba donatoris, aculum inter viuos a se celebratum esse, haud ambigue profitentis. Nec tamen desunt, qui contrarium opinionem defendant, negentque, vt donator negotiam nuncupauerit, ita ius esse. Sic certe iam olim, grauissimis argumentis adducti, censuerunt Valla l. l. Tr. II. §. 10. et Giphanius ad L. 13. D. de M. C. D. in Leſt. Altorph. p. 265. siquidem nec contractus, nec testamenta, nec donationes, quae a iure formam habent, fortuita contrahentium aut testatorum oratione immutantur: a. L. 6. D. de Praescript. verb. et L. 132. D. de Verb. oblig. Itaque nec is, qui

—————

sub mortis mentione donat, potest efficere, ut in aliud genus donatio transfat, quam quale ex mortis commemoratione nasci necessario debere, supra animaduertimus. Quae quidem donationum interpretatio adiuuatur non solum praecepto, in L. 16. C. de Fideic. fideicommissorum causa commendo, quod ad omnes vltimas voluntates tuto transferri potest, vt in his voluntas magis, quam verba sint intuenda; sed etiam exemplo manifesto L. 16. D. de Donat. vbi Vlpianus, ex facto consultus, respondit: *ex hac scriptura: SCIANT HEREDES MEI, ME VESTEM VNIVERSAM, AC RES CETERAS, QVASCVMQVE IN DIEM MORTIS MEAE MECVM HABVI, ILLI ET ILLI LIBERTIS MEIS VIVVM DONASSE*, dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere. Nam tali profecto opus erat ad sustentandam liberalitatem, quae, quum deficiente stipulationis ac traditionis forma, neque inter viuos, neque mortis causa collata dici posset, fideicommissi iure a Iurisconsulto defensa videtur.


Magis autem interpretum ingenia exercuit altera species, cui et ipsi vulgo existimant subesse donationem inter viuos, quamuis sub mortis cogitatione sit celebrata: scilicet, si donator facultate donationem reuocandi sponte se abdicauerit. De qua quam varie senserint viri docti, dixit dudum ante nos Branchu l. l. p. 28. sgg. vbi quinque diversae opinione recensentur, quibus ipse Observacionum auctor suam, tamquam sextam, addidit. In eo autem plerique consentiunt, abire eiusmodi donationem in liberalitatem viuentis, nec quidquam ipsi amplius superesse e mortis causa donationum natura, praeter mortis cogitationem. Ita quidem, vt Menochium et Mantican ll. ll. taceam, Balduinus Comm. ad §. 1. I. de Donat. p. 234. Cuiacius Consultat. 84. Hotomannus Consil. 73. §. 15. Opp. T. II. p. 377. Bachouius l. l. Vol. II. P. II. p. 70. sq. de Retes Opus. de Donat. c. 17. §. 4. et 16. et de Donation.

nation, int. V. et V. c. 8. §. 16. Thes. Meerm. T. VI. p. 634. 638.  
 et 692. sq. Pet. de Greue Exercit. ad D. loca difficultiora 23. p. 542.  
 Io. Iac. Wissenbachius Disput. ad Inflitt. 14. th. I. §. 9. Voe-  
 tius l. l. §. 1. T. II. p. m. 599. Vinnius Lib. II. Selectar. iur. qua-  
 sfion c. 34. Schilterus l. l. T. III. p. 29. Ios. Aueranius Lib. IV.  
 Interpretatt. iur. c. 1. §. 9. et 10. et c. 11. §. 13. Ill. Walchius  
 Introd. in controversias iur. ciu. p. 294. sq. et Westphalius l. l.  
 T. I. p. 171. e scriptoribus vero pragmaticis paene omnes.  
 Dissentientium coniecturae fere eo redeunt, vt alii dicant,  
 posse sic re vera m. c. donari, vt nullo casu sit repetitio, quia  
 dominium tamen non transeat in donatarium, nisi post mor-  
 tem; quae est doctrina Fabri de Errorib. Pragm. Dec. 45. Err. I.  
 alii quoad formam hoc donationis gentis conuenire donationi-  
 bus m. c. quoad vim vero et potestatem donationibus in-  
 ter viuos largiuntur; quod defendant Giphanius ad L. 27. D.  
 de M. C. D. l. l. p. 281. sq. Vlr. Huberus Praelect. iur. Rom. ad tit. D.  
 de M. C. D. §. 3. T. III. p. 1401. et de Berger Oecon. Iur. l. l. p. 204.  
 qui tamen in Resolut. LL. obstant. p. 604. mutata sententia  
 varias reuocandi cauissas discernit, eamque solummodo li-  
 beralitatem adcedere donationibus inter viuos voluit,  
 cuius repetendae nullam omnino ob cauissam facultas dona-  
 tori fit. Denique plane nouam viam ingressi sunt Bauerus  
 Pr. laud. Opuscc. T. I. p. 284. sqq. et Branchu l. l. p. 31. sq. Ille  
 enim distinguendum esse ait, an is, qui ob mortis suspicio-  
 nem donet, omni casu repetitioni renunciet, quem dona-  
 tionem habet pro donatione inter viuos; an vero repetitioni  
 simpliciter renunciet, quod salua m. c. donationum forma fieri  
 posse, concedit. Branchu autem vel hac in quaestione depre-  
 hendisse sibi visus est vestigia veteris controversiae de m. c.  
 donationum indole, inter Iurisconsultos Romanos agitatae,  
 quam quidem hanc vim putat habuisse, vt ii, qui m. c. do-  
 nationes ad naturam propriarum donationum reuocarent,  
salua  
Gloss

falsa earum forma renunciari a donatore posse facultati repetendi res donatas, decreuerint, qui contra legatis id donationum genus exaequarent, degenerare per huiusmodi legem, donationi additam, negotium in donationem inter viuos, statuerint. Et illius quidem sectae argumenta repetit e L. 13. §. 1. et L. 35. §. 4. D. de M. C. D. huius vero e L. 27. D. eod. Cui tamen conjecturae quum intelligeret obstare Novellae LXXXVII. praefationem, qua Iustinianus, et si ipse m. c. donationes cum legatis comparauerat, tamen Iuliани potissimum auctoritate adductus, mortis caufsa ita donari posse, vt nullo casu donantem poenitere liceat, edixit: eo progressus est vir doctus, vt ipsum Iustinianum imprudentiae hoc nomine adcusare non dubitaret. Nostrum iam erit, quid nobis de hac quaestione videatur strictim exponere. Ac profecto, quo minus in Branchii sententiam discedamus, efficiunt rationes locupletissimae. Primum enim Iulianus et Paulus, auctores d. L. 13. et L. 35. vt supra probauimus, steterunt a partibus eorum, qui mortis caufsa donationes ad legatorum naturam reuocarent; quum tamen secundum Branchium contrariam doctrinam profiteri, easque propriis donationibus adensem debuissent. Deinde ipse quoque Marciānus, quem tam acriter putat huiusmodi donationes poenitentiae expertes e censu donationum mortis caufsa proscriptisse, in d. L. 27. incipit ab his verbis: *vbi ita donatur MORTIS CAVSSA, vt nullo casu reuocetur*: ac proinde vix aliter loquitur, quam ceteri Iurisconsulti, nisi quod pleniū iudicium de vi et efficacia huiusmodi donationum addit, quod sane ab Iuliani et Pauli, qui solas donationum m. c. figurās describere vellent, oratione abest. Eorum vero, qui diuersas repetendi caussas in tribus illis locis Digestorum distinguunt, opinioni adcedere ideo non possumus, quia ex schemate m. c. donationum, supra proposito,

posito, intelligitur, verba *Legum* 13. §. 1. et 35. §. 4. *ut nullo casu sit repetitio*, quamuis additum sit: *id est, nec si conualerit quidem donator, eamdem vim vniuersalem habere, ac simplicem Marciani eloquutionem: ut nullo casu reuocetur; siquidem et ex reliquis donationum m. c. figuris, quae modo praecesserant in Iuliani et Pauli fragmentis, nonnullae vnam et alteram revocationis cauissam adsperrnantur.* Itaque plane concedimus in sententiam eorum, qui in singulis tribus Digestorum capitibus, et adeo in ipsius Iustiniani nouella Constitutione idein statui arbitrantur, *vt quoad formam externam huiusmodi donatio, a qua poenitendi arbitrium exsulet, similis sit mortis cauissa donationibus, quoad vim vero et potestatem donationibus inter viuos.* Et ita adcipio *cauissam donandi* in d. L. 27. *oppositam mortis cauissa donationi*, plane sicut Ulpianus L. 3. D. de *Donat.* distinxerat *conditionem donandi a causa.* Tantum vero abest, *vt nostra doctrina de mortis cauissa donationum conjecturis ex sola mortis mentione capiendis hac specie infringatur, vt potius praesidium aliquod haud leue in ipsa illa donationum figura nobis inuenisse videamur.* Nam si donatio, quae nulla in re, nisi in mortis mentione et cauissa suo generi similis fit, non definit esse mortis cauissa donatio, quid tandem praeter mortis mentionem expressam ad communem mortis cauissa donationum naturam amplius desiderabitur?

Vltima supereft donationum forma, quae nostris conjecturis aduersari videatur. Quid enim, si donatum sit absque mortis cogitatione, hac tamen lege, *vt implementum donationis differatur in tempus, quo donator deceperit?* Nonne hic certe dicemus, mortis tempus nec cauissae instar esse, quum donatum sit sine omni mortis suspicione, nec conditionis, a cuius euentu conualefecat donatio antea imperfecta, quum, iam a primo donationis celebratae momen-



to eam optimo iure factam esse, actus inter viuos gestus declareret? Ita prosectori ratiocinati sunt, quicumque hanc liberalitatis formam in propriae et inter viuos factae donationis locum succedere sibi persuaserunt, ut Menochius et Mantica II. II. Vinnius *Comm. ad §. I. I. de Donat. T. I. p. m.* 283. de Berger *Refol. LL. obſt. et Oecon. Iur. II. II. et Menkenius laud. Diff. §. II. p. 567.* Vnde distinguunt tum hi, tum alii, quos ad c. 2. supra adduximus, in primis forensium quaestionum scriptores, verba substantiam donationis ingredientia a ceteris, quae praestationem eius definiant, seu, vt cum ipsis loquar, dispositiva et exsequitiva, hoc fine, vt mortis mentio in verbis exsequitiviis obvia prodat donationem inter viuos, verba vero dispositiva, si in mortem concepta sint, efficiant donationem mortis cauſa. Quod discrimen, iam a Fabro *Dec. 45. Err. 2.* et Giphanio *ad L. 13. D. de M. C. D. I. I. p. 267.* explosum, quemadmodum demum interpretibus recentionibus originem debet, qui soluendarum aliquot antinomiarum, quales ipsis videbentur, gratia id excogitauerunt, ut recte animaduertit Branchu *I. I. p. 30.* ita ex vi, quam mortis mentionem in donationibus habere supra docuimus, fine negotio potest refutari. Neque enim alia lege donatarius rem adcipit, quam post mortem donatoris; quod manifesto indicio est, donatorem maluisse, se rem habere, quam alterum; alterum vero, quam heredem suum. En igitur mortis causa donationis effectum praecepit, qui nec tunc cessabit, si donator se nullo modo voluntatem esse mutaturum, promiserit. Quae promissio plane aliam habet vim in liberalitate nondum collata, quam in ea, qua donatarius iam viuo donatore est potitus: vt proinde in illa specie id potius spectetur, quod actum sit, quam quod sermone donator expresserit. Si quis autem urget, abesse ab huiusmodi donatione

natione mortalitatis cogitationem, tamquam caussam: vel hanc induci respondemus ex verbis donationem in tempus mortis differentibus. Quomodo enim quisquam differre potest negotium aliquod in tempus mortis, sine eiusdem contemplatione? Placet igitur, huiusmodi donationem intelligi non solum quoad conditionem habendae rei, sed etiam quoad caussam, quae ad donandum commouerit, mortis caussa factam: quae sententia adiuuatur disertis *L. 34. D. de M. C. D.* verbis, similem speciem ad mortis caussa donationes referentibus: *MORTIS CAVSSA DONATIO* etiam sic constitui potest; ut quid stipuletur in annos singulos, quoad viueret (donator): scilicet, ut post mortem promissoris incipiat exactio. Cf. *L. 35. §. 8. D. eod.* Semper autem oportet, ut cuilibet donationi, ita huiusmodi potissimum stipulationi meram liberalitatem, et gratuitum beneficium inesse, siquidem etiam veras obligationes posse in tempus mortis promitti, ex *L. 17. D. de Condit.* indebat patet. Quod reliquum est, donatio, retento a donatore ad dies vitae usufructu facta, eiusdem esse indolis, cum liberalitate, post mortem promissa tunc denum videtur, si in alia donationis parte mortis mentione quocumque modo inciderit; cuiusmodi speciem exhibet *L. 42. pr. D. de M. C. D.* ceteroquin usufructus a donatore seruatus (quod plerumque traditionis gratia fieri solebat) conuenit etiam donationi inter viuos, siquidem certe proprietatem donatarius iam viuo donatore consequitur, quem sibi hoc modo perfecte obligat, quamquam deum post eius mortem pleno iure res donata ad donatarium pertinet. Atque sic conciliamus cum priori specie exempla usufructus in *L. 28. et L. 35. §. 5. C. de Donat.* obvia, quae certe de alio donationum genere, quam de eo, quod inter viuos contrahitur, adcipi nequeunt.

---

Atque

zummi et primi iuris. Altera cum dono, et alio iure  
etiam sumptus nos obiectos, ad donum visum  
modico summissorum, utrumque si donum minus in iure  
et modico, et summissorum, utrumque si donum quicunque  
minus sit, et iure, et modico, utrumque si donum  
modico summissorum, utrumque si donum quicunque  
minus sit, et iure, et modico, utrumque si donum

**A**tque haec quidem de mortis causa donationum ex iure Romano interpretatione. Addere nonnulla de sententia nostra ad usum fori Germanici, et in primis Saxonici, adcommoda animus fuerat, quum, ab operis festinantibus admoniti, filum orationis abrumpere cogeremur. Interim ne plane haec disputatio incassum instituta videri possit hominibus forensibus, quid ex ea ad ipsa rerum argumenta transferri possit ac debeat, strictim exponemus. Quum enim certe in Saxonia sit extra dubitationis aleam positum, mortis causa donationes cum iure Romano ad nos peruenisse, siquidem iis, dum omnia donatoris bona adficiant, certam adeo formam ipsa *Constit. El. Sax.* 1. P. III. praescripsit: iuris quoque Romani decreta, non peruersa illa et ex sinistre interpre-

preta-

pretationis fontibus hausta, sed veteris ac nouae legum discipline consentanea, quatenus ab vniuersa iuris patrii indele non plane abhorreant, ad eas adiplicari oportere, arbitramur. Neque enim vtimur singulari Io. Tob. Carrachii opinione, qui in *Diff. de Differentiis iuris Rom. et Germanici in mortis cauffa donatione*, §. 10. p. 16. magno conatu ausus est docere, hodiernas m. c. donationes esse ad naturam pactorum successorum reformatas, a qua opinione nec nouissimus huius argumenti scriptor, Ill. Westphalus *I. I. T. I.* p. 171. multum videtur recedere; quantumuis olim dissenserit, ac iure quidem suo, Frid. Esaias a Pufendorf *Off. iur. uniu. T. II. obs. 51.* et *T. IIII. obs. 260.* Saxonici igitur iuris rationibus, repugnante quamvis quotidiana iudiciorum consuetudine, ita adtemperanda censemus iurisprudentiae Iustinianeae placita, qualia in hoc libello tradidimus, vt 1) cessante hodie stipulatione, m. c. donationes celebrandae sint vel interueniente traditione, vel nuda donatorem inter et donatarium inita conuentione, sine testibus, dummodo non excedant summam D. solidorum; vt 2) hunc modum superantes coram quinque testibus perficiantur, nisi omnia donatoris bona adficiant; quo casu eas actis insinuari expressa legislatoris

toris Saxonici constitutio iubet; 3) vt et hodiernae m. c. donationes pari potestate cum legatis gaudeant, si effectus spectes; 4) vt denique ex sola mortis mentione mortis caussae donationum coniecturae vel apud nos capiantur.

Leipzig, Diss., 1792





B.I.G.



1792,7.

DE

# MORTIS CAVSSA DONATIONVM CONIECTVRIS

EX  
MORTIS MENTIONE  
CAPIENDIS

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS  
OBTINENDO

A. D. XVI. M. AVG. A. C. CLXXXII

H. L. Q. CC

D I S P V T A B I T  
IOANNES FRIDERICVS HERMANN  
LIPSIENSIS  
IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA SAALBACHIA